CORONA BEATÆ & IMMACULATÆ VIRGINIS MARIÆ

Cum Orationibus & Meditationibus, secundum normam Fratrum Minorum

S. FRANCISCI

de Observantia.

L E O P O L I.
Typis Confraternit: SSS. Trinitatis.
Annô Domini 1726.

Ad Usum Fris Thomae Woycikiewicz Augustiniani



()✠()

INVOCATIO S. SPIRITVS

VEni ſancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & Tui amoris in eis ignem accende, qui per diverſitatem lingvarum cunctarum gentes in vnitate fidei congregaſti.

℣. Emitte Spiritum tuum & creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

ORATIO.

DEus, qui corda fidelium Sancti Spiritûs illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium Tuum, qui Tecum vivit & regnat in vnitate ejuſdem Spiritûs Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. A.

Præparatio cordis, ante Orationem Corona B. M Virg.

In Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, Amen.

DOmine Jesu Christe, dignare me indignum peccatorem, Matri Tuæ debitam reverentiam exhibere Et Tu amantissima Domina impetra mihi à dilecto Filio Tuo, ut sim semper deditus Tuæ Servituti, & Tibi omni tempore vitæ meæ dignas laudes mente purâ & corpore promere valeam. Saluto Te gloriosissima Dei Genitrix Virgo Maria cælorum Regina, Angelorum Domina, eâ salutatione quâ Te salutavit Archangelus Gabriel: Ave Maria gratiâ plena, Dominus Tecum: benedicta Tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris Tui Jesus. Humiliterquè ac devotè supplico Tibi ô gloriosa Domina, ut ab eodem Filio Tuo Domino nostro Jesu Christo, impetres mi-

hi servulo Tuo, licet indigno & peccatori, ut in hac hora infundat mihi gratiam Spiritûs Sancti, quâ purgatus ab omnibus peccatis meis, & segregatus ab omnibus nocivis & pravis cogitationibus, delectationibus, & tentationibus, Coronam Tibi dedicatam ad laudem & gloriam ejusdē dilectissimi Filij Tui, ad honorem Tuum, omniumq; Supernorum Civium exultationem, necnon ad Salutem animæ meæ, & fidelium omnium, tàm vivorum, quàm defunctorum promere valeam, tranquillâ mente, & in statu gratiæ. *Credo.*

Gratiarum actio, pro beneficio Creationis.

GRatias Tibi ago Domine Deus, Pater Omnipotens, Rex cælestis, qui me indignum famulum Tuum, ad imaginem & similitudinem Tuam creare dignatus es, & unicum cordis Tui Filium in mundum pro

salute nostra misisti: pro quo Tibi sit laus honor, decus, & gloria, in sæcula sæculorum, Amen.

Pater noster. Ave Maria.

Gratiarum actio pro beneficio Redemptionis.

GRatias Tibi ago Domine JESU Christe, Fili DEI vivi, qui me indignum peccatorem Tuo sanguine pretiosissimo redemisti, & Tuum corpus ac sanguinem nobis in cibum & potum reliquisti: pro quo Tibi sit laus honor, decus, & gloria, in sæcula sæculorum, Amen.

Pater noster. Ave Maria.

Gratiarum actio pro beneficio Illuminationis, & ad sanctam Religionem vocationis.

GRatias Tibi ago Domine Spiritus sancte Deus, qui me indignum peccatorem ad fidem sanctam, insuper ad sacram Religionem vocare dignatus es, & à multis periculis

animæ & corporis, & hactenus ab æterna damnatione per multa defluentem vitia præservasti: pro quo Tibi sit laus, honor, decus, & gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

Continet hæc Corona 8. Pater noster, & 72 Ave Maria, & unum pro Summo Pontifice, Continet præterea hæc septem.

1. Septem effusiones sangvinis Domini Jesu Christi.
2. Septem gaudia Virginis Mariæ.
3. Septem status triumphantium in cælis.
4. Septem peccata capitalia.
5. Septem virtutes peccatis contrarias.
6. Septem dona Spiritûs Sancti.
7. Septem status militantium in terra.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, ecce ego, tametsi indignus peccator, præ-

cordiali affectu & mente devotâ, quâ possum, humiliter & gratanter recolo omnia beneficia mihi à Te collata; specialiter Creationis meæ nobilissimæ; Redemptionis misericordissimæ; per Tuam ignonimiosissimam mortẽ Crucis: & Vocationis meæ benignissimæ ad sacram Fidem Catholicam, insuper ad hanc sacram Religionem, in qua mihi miserrimo peccatori digneris Omnipotens Deus dare remissionem omnium peccatorum meorum, veram vitæ meæ emendationem, abundantiam omnium bonorum spiritualium, mandatorum Tuorum, & votorum meorum observantiam, vitam honestam, cogitationes sanctas, fidem firmam, spem rectam, charitatem perfectam, patientiam, & humilitatem, continentiam & simplicitatem, desideria cæli, & in tentationibus victoriam, cum finali perseverantia usquè in finem vitæ meæ, Amen.

SEQVITUR.
CORONA BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.
Cum Orationibus & Meditationibus.

Primum Pater noster.

AVe Jesu conditor, dulcis flos candoris, Tuum sanguinem pretiosum fundens pro nobis.

Ave dulcis parvule, dolens circumcisus, quem chorô Angelicô laudat paradisus.

Gratias Tibi ago Domine JESU Christe, pro Tua Sanctissima Circumcisione: & precor Te, circumcide in me omnem nocivam cogitationem, delectationem pravam, & tentationem, &c.

Jesus Christus pro nobis Circumcisus, quem Tu Sanctissima Virgo Maria Gabriele Archangelô nunciante, de Spiritu Sancto concepisti, rogo Te per illud ineffabile gaudium,

quod tunc habuisti in terris, & per hoc, quod nunc habes in cælis, quô omnes Sanctos excellis sublimitate, intercedere digneris pro me misero peccatore ad eundem dilectissimum Filium Tuum, ut per sanguinem suum pretiosissimum, quem effudit in sua sanctissima Circumcisione, & per merita & intercessionem omnium Sanctorum, & Angelorum, & præcipuè per intercessionem S. Michaelis, & S. Angeli Custodis, & Patroni mei, dgnetur me Tuus dilectissimus Filius purgare ab omnibus peccatis meis, præcipuè à peccato Superbiæ, adornare virtute Humilitatis, confirmare donô Spiritûs Sancti, timoris. Insuper ora Sanctissima Virgo MARIA, dignetur Tuus dilectissimus Filius misereri & propitius esse mihi maximo peccatori, & omnibus in sacris ordinibus existentibus: & præcipuè Pontifici Summo Romano N. cum

omni Clero sibi commisso, Patriarchis, Cardinalibus, præsertim Protectori nostri Ordinis: Archiepiscopis, Episcopis, præsertim Episcopo nostro N. Canonicis, Parochis; Confratribus nostris, & omnibus in quocunq; gradu & dignitate Ecclesiastica existentibus, per suam pijssimam misericordiam indulgere dignetur, Amen.

Gaude Virgo desponsata,
Ab Angelo salutata,
Credidisti firmiter.
Tunc Ancilla nominata
Et à DEO imprægnata,
Hunc portasti svaviter.

Primus Septenarius.

Decem Aue MARIÆ.

Antiphona.

Sancta & Immaculata Viginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: quia quem cæli capere non poterant, Tuô gremiô contulisti.

℣. Angelus Domini nunciavit Mariæ.

 ℟. Et

℣. Et concepit de Spiritu Sancto.

Oremus.

DEus qui de Beatæ MARIÆ Virginis utero, verbum tuum Angelô nunciante carnem suscipere voluisti: præsta quæsumus supplicibus Tuis, ut qui verè eam Genitricem Dei credimus, ejus apud Te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Dominum nostrum, &c,

Secundum Pater noster.

AVe JESU conditor, dulcis flos candoris, Tuum sanguinem pretiosum fundens pro nobis

Ave qui purpureum sanguinem fudisti cum tormenta maxima futura vidisti.

Gratias Tibi ago Domine JESU Christe, pro Tua Sanctissima in horto desudatione: & precor Te, da mihi in recordatione Passionis Tuæ, uberem lachrymarum fontis irrigationem.

IESUS Christus pro nobis in horto desudatus, quem Tu Sanctissima Virgo MARIA in utero Tuo portans, Elizabeth cognatam Tuam visitasti. Rogo Te per illud ineffabile gaudium, quod tunc habuisti in terris, & per hoc quod nunc habes in cælis, quô omnes Sanctos excellis Claritate intercedere digneris pro me miserrimo peccatore ad Tuum dilectissimum Filium ut per sanguinem suum pretiosissimum quem effudit in sua Sanctissima in horto desudatione, & per merita & intercessionem omnium Sanctorum Patriarcharum & Prophetarum, & præcipuè per intercessionem S JOANNIS Baptistæ, dignetur me Tuus idem dilectissimus Filius purgare à peccatis omnibus, & præcipuè à peccato Invidiæ, adornare charitate, confirmare donô Spiritûs sancti pietatis. Insuper ora Sanctissima Virgo MARIA, dignetur

Tuus

Tuus dilectiſſimus Filius miſereri, & propitius eſſe mihi maximo peccatori, & omnibus Religionibus per totum mundum exiſtentibus: præcipuè in hoc Regno, & præſertim in hac Civitate: præcipuè Religionis noſtræ Patri Generali, Commiſſario, Provinciali, ſpecialiter Prælatis Provinciæ noſtræ, Sacerdotibus, Fratribus omnibus, tam profeſſis, quàm novitijs, & qui ad hanc Sanctam aſpirant Religionem.

Gaude quia viſitaſti
Elizabeth, cum filio,
Cordis cum deſiderio:
Cui gratis ſerviviſti,
Magnificat decantaſti,
Gaudens cum tripudio.

Secundus Septenarius.

Decem Aue MARIA.

Antiphona.

Beata es Virgo Maria, quæ Dominum portaſti, Creatorem mundi genuiſti

nuisti qui Te fecit, & in æternum permanes Virgo.

℣. Dignare me, laudare Te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes Tuos.

Oremus.

DEUS, qui Virginalem aulam Beatæ MARIÆ Virginis, in qua habitares, eligere dignatus es: da quæsumus, ut suâ nos defensione munitos jucundos facias suæ interesse commemorationi. Qui vivis, &c.

Tertium Pater noster.

AVe JESU Conditor, dulcis flos candoris, Tuum sanguinem pretiosum fundens pro nobis.

Ave, cujus inclytum corpus est ligatum, & virgarum ictibus dirè verberatum.

Gratias tibi ago Domine JESU Christe pro Tua Sanctissima flagellatione: & precor te, da mihi in præsenti vita,

pro

pro peccatis meis paternam correctionem.

JESUS pro nobis flagellatus, quem Tu Sanctissima Virgo MARIA absquè omni dolore reperisti: Rogo Te per illud ineffabile gaudium, quod tunc habuisti in terris, & per hoc, quod nunc habes in cælis, quô omnes Sanctos excellis voluntate, intercedere digneris pro me miserrimo peccatore, ad eundem dilectissimum Filium Tuum ut per sanguinem suum pretiosissimum, quem effudit in sua sacratissima flagellatione, & per merita & intercessiones omnium Sanctorum Apostolorum & Evangelistarum: & præcipuè per intercessionem SS. Petri & Pauli, Joannis Evangelistæ, Apostolorum, dignetur me purpurgare ab omnibus peccatis meis, & præcipuè à peccato Iræ: adornare virtute patientiæ, confirmare donô Spiritûs Sancti, Scientiæ. Insuper

ora Sanctissima Virgo Maria, dignetur idem dilectissimus Fillus Tuus, misereri & propitius esse mihi maximo peccatori, & meis Parentibus, fratribus, sororibus, omnibusq; mihi in consanguinitate & familiaritate adstrictis, & omnibus, qui mihi, & nobis, propter nomen Tuum benè fecerunt, & qui mihi recommendati sunt, quos etiam conturbavi, gravavi, Scandalizavi, verbis, factis, scienter, ignoranter, sive in carne adhuc vivant, sive jam sæculo defuncti sunt; omnes obsecro auxilium gratiæ Filij Tui, opem ejus consolationis, protectionem à periculis, liberationem à pœnis advenire nobis sentiamus: ut ab omnibus malis erepti, gratias magnificas semper dulcissimo Filio Tuo læti persolvamus. Amen.

Gaude, quia DEO plena,
Peperisti sine pœna,
Cum pudoris lilio.

Gaude

Gaude, Deum generasti,
Piè natum adorasti,
Amplexando dulciter.
Quem fasciâ alligasti,
In præsepi reclinasti,
Mactando suaviter.

Tertius Septenarius.

Decem Aue MARIA.

Antiphona.

Felix namquè es Sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima, quià ex Te ortus est Sol justitiæ, Christus Deus noster. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto Femineo sexu, sentiant omnes Tuum juvamẽ, quicunquè celebrant Tuam Sanctam commemorationem.

℣. Post partum Virgo inviolata permansisti.

℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.

Oremus

Oremus.

DEus, qui salutis æternæ, Beatæ Mariæ Virginitate fæcunda, humano generi præmia præstitisti: præsta quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum Filium Tuum, Qui tecum vivit, & regnat, &c.

Quartum Pater noster.

AVe JESU conditor, dulcis flos candoris, tuum sanguinem pretiosum fundens pro nobis.

Ave, qui purpureâ veste circumdaris, & taliter derisus, spinis coronaris.

Gratias Tibi ago Domine Jesu Christe, pro Tua Sanctissima spinis coronatione, & precor Te, imprime cordi meo sedulam, lachrymosam ac devotam Tuæ passionis recordationem.

JESUS Christus pro nobis spinis coronatus, quem Tu Sanctissima Virgo MARIA à tribus Regibus adorari vidisti. Rogo Te per illud ineffabile gaudium, quod tunc habuisti in terris, & per hoc, quod nunc habes in cælis, quô omnes Sanctos excellis dignitate; intercedere digneris pro me miserrimo peccatore ad eundem dilectissimum Filium Tuum, ut per sanguinem suum pretiosissimum, quem effudit in sua sanctissima spinarum coronatione, & per merita omnium Sanctorum Martyrum, & præcipuè per intercessionẽ S. Adalberti, Stanislai, Floriani, Vẽceslai, dignetur me purgare ab omnibus peccatis meis, & præcipuè à peccato Avaritiæ, adornare virtute paupertatis, & totius mundi contemptu: confirmare donô Spiritûs Sancti, cõsilij. Insuper ora Sanctissima Virgo Maria

MARIA, dignetur Tuus dilectissimus Filius misereri, & propitius esse mihi maximo peccatori, & omnibus Regibùs & Principibus Christianis, & præcipuè Regi nostro Poloniæ, cum omni populo sibi commisso omnibusq; primarijs Regni huius, ut in unitate fidei Catholicæ perseverent, omnibus nobilibus, & ignobilibus, civitatibus omnibus, præsertim huic civitati N. cum omnibus intra & extra eam existentibus, ut in prospero successu, in vera pace, in gratia ejus, per suam pijssimam misericordiam conservētur, â periculis omnibus defendantur, & ad vitam æternam perveniant, Amen.

Gaude, Stella demonstrari,
A Regibus adorari,
Conspexisti parvulum:
Affectibus revereri
Muneribus protestari,
Deum factum servulum.

De-

Decem Aue MARIÆ.

Antiphona.

Christi Virgo dilectissima, virtutū operatrix inclyta, opem fer miseris, subveni Domina clamantibus ad Te jugiter.

℣. Reges Tharsis & Insulæ munera offerunt.

℟. Reges Arabum & Sabba dona adducunt.

Oremus.

COncede misericors DEUS, fragilitati nostræ præsidium ut qui Sanctæ DEI Genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxiliô, à nostris iniquitatibus resurgamus. Per eundem. &c.

Quintum Pater noster.

AVe JESU conditor, dulcis flos candori, Tuum sanguinem pretiosum fundens pro nobis.

Ave, qui coccineâ Chlamyde nudaris: & sacris vulneribus, totus cruentaris. Grati-

Gratias ago Tibi Domine JESU Christe, pro Tua ignonimiosa Crucis bajulatione, & dolorosa ante crucē despoliatione; & precor Te, da mihi pro peccatis meis veram cordis cōtritionem, puram & lachrymosam oris confessionem, dignam satisfactionem, veramquè ex omnibus emendationem.

JESUS Christus pro nobis Crucem ignonimiosè bajulando crudeliter vestibus est despoliatus, quem Tu Sãctissima Virgo Maria quadragesimô die in templo præsentasti, & ipsius annô duodecimô, eum perditum post triduum in templo in medio Doctorum reperisti. Rogo Te per illud ineffabile gaudium, quod tunc habuisti in terris, & per hoc quod nunc habes in cælis, quô omnes Sanctos excellis remuneratione, intercedere digneris pro me miserrimo peccatore; ad eundem dilectissimum Filium tuum,

Tuum, ut per suam ignonimiosam Crucis bajulationem, & per sanguinem suum pretiosissimum quem effudit in sua dolorosa ante Crucem despoliatione, & per merita quoquè & intercessiones omnium Sanctorum Pontificum, & Confessorum, & præcipuè per intercessionem omnium Sanctorum Doctorum, & Confessorum, S. Hieronymi, Bonaventuræ, Ludovici, Francisci, Dominici, Bernardini, Hyacinthi, Didaci, dignetur me purgare ab omnibus peccatis meis, & præcipuè à peccato Acædiæ, adornare virtute ferventis devotionis, confirmare donô Spiritûs Sancti, fortitudinis. Insuper ora Sanctissima Virgo Maria, dignetur idem dilectissimus Filius Tuus, misereri & propitius esse mihi maximo peccatori, & omnibus benefactoribus nostris, quorum utimur eleëmosynis, quorum ille optimè novit nomina &

necess-

necessitates, ut illis pro parvis magna, pro terrenis cœlestia, pro temporalibus sempiterna largiatur: & præcipuè qui mihi aliquid boni fecerunt, N. N. illis per suam pijssimam misericordiam, propitius esse dignetur. Amen.

Gaude, quod est præsentatus,
Per Te felix Tuus natus,
Legis testimoniô.
Mæsta multum quæsivisti,
Inter doctos invenisti,
Annô eius duodecimô.

Decem Aue Maria.

Antiphona.

Sub Tuum præsidium confugimus Sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa & benedicta.

℣. Diffusa est gratia in labijs Tuis.

℟. Propterea benedixit Te Deus in æternum.

Oremus.

FAmulorum Tuorum, quæsumus Domine, delictis ignosce, ut qui Tibi placere de actibus nostris non valemus: Genitricis Filij Tui Domini nostri intercessione salvemur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium Tuum, &c.

Sextum Pater noster.

AVe JESU conditor, dulcis flos candoris, Tuum Sanguinem pretiosum fundens pro nobis.

Ave dulcor animæ, cruci conclavatus, & fellis amarissimi poculô potatus.

Gratias Tibi ago Domine JESU Christe, pro Tua Sanctissima crucifixione, manuum ac pedum crudelissima extensione, & pro Tuis Sanctissimis verbis, quæ pendens in cruce dixisti: & precor Te, da mihi, quidquid omnibus meis membris, cogitationibus, locutionibus, operationibus

nibus, ac negligentiis deliqui plenã indulgentiam ac remissionem peccatorum omnium.

IEsus Christus pro nobis crucifixus, quem TU Sanctissima Virgo MARIA post triduum à mortuis resurgentem, & quadragesimô die ad cælum ascendentem vidisti, & die Pentecostes Spiritum Sanctum mittentem cognovisti. Rogo TE per illud ineffabile gaudium, quod tunc habuisti in terris, & per hoc quod nunc habes in cælis, quô omnes Sanctos excellis propinquitate, intercedere digneris pro me miserrimo peccatore ad eundem dilectissimum Filium TUUM, ut per sanguinem suum pretiosissimum, quem effudit in sua Sanctissima & acerbissima crucifixione, & per merita & intercessiones omnium Sanctarum Virginum: & præcipuè per intercessionem S. Catharinæ, S. Cæciliæ, S, Dorotheæ, S. Bar-

baræ, S. Claræ, dignetur me purgare ab omnibus peccatis meis, præcipuè à peccato Gulæ: adornare virtute temperantiæ, confirmare donô Spiritûs Sancti, intellectûs. Insuper ora Sanctissima Virgo MARIA, dignetur idem dilectissimus Filius Tuus misereri & propitius esse mihi maximo peccatori, & omnibus tribulatis, infirmis, tentatis, captivis, & afflictis, & in quacunquè necessitate positis, omnibus peccatoribus, ut convertantur, qui discesserunt à fide Catholica, & gentibus agnitionem veritatis dare dignetur, omnibus meis persecutoribus, & qui me calumnijs, & quos meâ malitiâ scandalizavi, & cunctis in Ecclesia Catholica congregatis, omnibus nobis misereri & propitius esse unigenitus Dei ac Tuus Filius JESUS Christus dignetur. A.

Gaude, quia Tui nati,
Quem videbas mortem pati,
Fulget resurrectio. *Gaude*

Gaude Christô ascendente,
Qui in cælum Te vidente,
Motu fertur propriô.
Gaude, quia Paraclitus
Missus fuit cælitus,
In Tuo collegio.

Decem Aue Mariæ.

Antiphona.

Ave Regina cœlorum, Ave Domina Angelorum. Salve radix salve porta, ex qua mundo lux est orta.

Gaude Virgo gloriosa super omnes speciosa. Vale ô valde decora, & pro nobis Christum exora.

℣. Ora pro nobis Sancta Dei genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

COncede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus perpetuâ mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosâ Beatæ Mâriæ, semper Vir-

ginis interceſſione, à præſenti liberari triſtitiæ, & æternâ perfrui lætitiâ. Per eundem Dominum &c.

Tempore Paſchali dicitur Antiphona, Regina cœli, *cum ſuo verſu & Oratione.*

Septimum Pater noſter.

AVe JESU conditor, dulcis flos candoris, Tuum ſanguinem pretioſum fundens pro nobis.

Ave latus floridum rubri coloris, ex Te manant rivuli fervidi amoris,

Gratias Tibi ago Domine JESU Chriſte, pro Tua Sanctiſſima lateris apertione, & precor Te, da cordi meo ferventem Tui amorem, & dilectionem.

JESUS Chriſtus pro nobis lanceâ in latere transfixus à quo Tu Sanctiſſima Virgo Maria, cum anima, & corpore in cælum aſſumpta fuiſti. Rogo Te per illud ineffabile gaudiū, quod tunc habuiſti in terris, & per

hoc

hoc quod nunc habes in cœlis, quô omnes Sanctos excellis securitate, intercedere digneris pro me misero peccatore, ad eundem dilectissimum Filium Tuum, ut per sanguinem suum pretiosissimum, quem effudit in sua Sanctissima lateris apertione, & per merita & intercessiones omniũ Sanctarum Mulierum ac Viduarum, & præcipuè per intercessionem S. Annæ, S. Elizabeth, S. Hedvigis, dignetur me purgare ab omnibus peccatis meis, & præcipuè à peccato Luxuriæ, adornare virtute castitatis, confirmare donô S. Spiritûs Sapientiæ. Insuper ora Sanctissima Virgo MARIA dignetur Tuus idem dilectus Filius misereri & propitius esse mihi maximo peccatori, & omnibus defunctorũ animabus, præcipuè meorum Parentum consauguineorum, fratrum, sororum familiarium, benefactorum, amicorum, tam

spiritualium, quàm carnalium, & omnibus animabus, tam fundatorum & benefactorum hujus loci, quàm omnium qui in fide Catholica decesserunt, & in purgatorio detinentur. Denique omnibus in hac Ecclesia vel Cœmeterio sepultis, & demum omnibus in purgatorio existentibus, requiem æternam donare digneris, A.

Gaude, quæ post ipsum scandis,
Et est Tibi honor grandis,
In cælesti solio.
Ubi fructus ventris Tui,
Per Te detur nobis frui,
In cæli palatio.
Gaude, quia consummaris,
A Filio invitaris,
Dducta solemniter.
Super choros exaltata,
Et pro nobis advocata,
Firmata perenniter.

Decem Aue Maria.

Antiphona.

SAlve Regina Mater misericordiæ; vita dulcedo, & spes nostra salve. Ad Te clamamus exules filij Evæ. Ad Te suspiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle. Eja ergo advocata nostra, illos Tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum benedictum fructum ventris Tui, nobis post hoc exilium ostende. O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.

℣. Exaltata es Sancta Dei genitrix.

℟. Super choros Angelorum ad cœlestia regna.

Oremus.

BEatæ & gloriosæ, semperque Virginis Mariæ, intercessio gloriosa nos protegat & ad vitam perducat æternam. Per Dominum &c.

PATER NOSTER.

O Maria Mater mundi,
A peccatis simus mundi,

Per Te plena gratiâ:
Virtutibusq́; facundi,
Læti Tecum & jucundi,
Simus nos in patria,
Per hæc septem gaudia. Amen.

Pater noster. & 3. Aue Maria.

Recommendatio Coronæ.

SUscipere digneris Domine Sanctæ Pater omnipotens, hanc Coronam, quam ego indignissimus famulus Tuus offero Tibi, in memoriam passionis & effusionis pretiosissimi Sanguinis Domini nostri JESU Christi, suscipere digneris, & in memoriam septem gaudiorum temporalium, & septem æternorum gloriosissimæ Genitricis ejusdem Filij Tui unigeniti Virginis MARIÆ. Suscipere inquam, digneris Domine sanctæ Pater omnipotens, hanc Coronã, ad laudem & gloriam Tui sanctissimi nominis, ad honorem Beatissimæ Virginis Mariæ, & in specialem honorẽ

S. Mi-

S. Michaëlis Archangeli, & S. Angeli custodis mei, S. Joannis Baptistæ, S. Joannis Apostoli & Evangelistæ, S. Casimiri, S. Adalberti, S. Stanislai, Sanctissimi Patris nostri Francisci, S. Catharinæ, S. Cæciliæ, S. Claræ, S. Annæ, Patronorum meorum, atq; totius curiæ cælestis exultationem. Et pro cuncto populo, quem acquisivisti pretiosô sanguine Filij tui, & pro me misero peccatore, pro remissione peccatorum nostrorum, pro expurgatione vitiorum, pro augmento virtutum, pro pace & sanitate fidelium populorum, pro fructibus terræ, pro stabilitate Ecclesiæ, pro ordine Sanctorum, pro conversione & revocatione peccatorum, & pro omnibus meis peccatis, vitiis, & negligentiis, & pro emendatione vitæ meæ. Insuper suscipere digneris pro omnibus fidelibus, tam vivis quàm defunctis, pro

quibus ſcis & vis me oraſſe, oro, ut mihi & illis proficiat ad ſalutem, & vitam ſempiternam. Amen.

Ad Beatiſſimam Virginem & Sanctos Dei.

O Bſecro Te etiam Beatiſſima Dei Geniirix Virgo Maria, & Te beatiſſime Pater Franciſce, & vos SS. Bonaventura, & S. Bernardine, Patroni mei chariſſimi, omneſq; Sancti electí Dei, facite me exaudiri indignum peccatorem pro omnibus illis, pro quibus hanc orationem intentionaliter facio, ut Dominus Jesus dignetur eis per meritum ſuæ paſſionis miſereri; mihi verò indigno peccatori velitis impetrare veniam peccatorum, veram vitæ emendationem: Inſuper impetrare mihi gratiam omnia mundana ſpernere, & in ſola cruce Domini noſtri delectari, ut benè moriens, tandem vos æternaliter valeam in cælis videre, & Dominum

minum Jesum Christum vobiscum laudare, in sæcula sæculorum. Am.

Oratio ad Dominum JESUM Christum.

INsuper Tibi gratias ago Domine Jesu Christe, pro omnibus laboribus, quos pro me misero peccatore misericorditer sustinuisti, ut me à damnatione liberes. In ea charitate obsecro Te Domine Jesu Christe, Rex meus, & Deus meus, ut sis mihi placabilis super multitudine peccatorum meorum, & me miserũ peccatorem confirmare digneris in hac Religione sacra, ad quam me propemodum indignum sed Tuis miserationibus multis & magnis vocare dignatus es. Facias me quoq; proficere in omni adimpletione mandatorum Tuorum, & votorum meorũ, videlicet Obedientiæ, Paupertatis & sanctissimæ Castitatis mentis & corporis: & auge in me virtutem fidei fir-

firmæ, ſpei rectæ, charitatis perfectæ, patientiæ, humilitatis, manſvetudinis juſtitiæ, prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis, atq; totius ſanctitatis: liberare me quoquè digneris à lingua nefandiſſima, labiis doloſis, & levitate riſûs, omnequè deſiderium meum in amore terreno, & carnali extinguere digneris, & in Tuo amore accendere, ac in devota meditatione Tuæ Sanctiſſimæ Paſſionis. Fac quoquè Domine JESU Chriſte, quatenus omne tempus à Te mihi impenſum fructuosè expendam: ſtudium diſcendi, & intellectum ſcripturæ ſi Tibi placet & expedit animæ meæ, mihi impartiri digneris, quatenus poſſim eô uti ad laudem & gloriam Tui Sanctiſſimi nominis, animæ meæ ſalutem & proximorum meorum ædificationem. Auditoribus quoq; omnium Prædicatorum Chriſtianæ veritatis maximè in hac Pro-

vincia

vincia, & in hoc loco, Spiritûs sancti gratiam infundere digneris, quæ corda eorum aperiat, & devotè audire faciat, & cum mansvetudine suscipere insitum verbum. Quare supplices Te convenimus Spiritus sancte, Deus, qui es illuminator omnium venientium in hunc mundum: digneris me illuminare cæcum in anima & corpore quatenus possim boni aliquid operari in hac vinea pro gloria Sanctissimi nominis Tui, animæ meæ salute, & proximorum meorum ædificatione, Amen.

Tibi nos ô MARIA commendamus. Tu procura ne pereamus. A.

Commemoratio Septem Gaudiorum cælestium Beatissimæ Virginis MARIÆ.

GAude flore virginali, quæ honore speciali, transcendis splẽditerum, Angelorum decoratum dignitate numerũ. *Ave Maria.* Gau-

Gaude Sponſa chara Dei; Nam ut clara lux diei, ſolis datur lumine: Sic Tu facis orbẽ verè Tuæ pacis reſplẽdere lucis plenitudine. *Ave Maria.*

Gaude ſplendens vas virtutum, cujus pendens eſt ad nutum tota cæli cura: Te benignam & felicem, JESU dignam genitricem, venerant in gloria. *Ave Maria.*

Gaude nexu voluntatis, & amplexu charitatis, juncta ſis altiſſimo, ut ad votum conſequaris, quidquid Virgo poſtularis à JESU dulciſſimo. *Ave Maria.*

Gaude Virgo Mater Chriſti, quia ſola meruiſti, O Virgo piiſſima, eſſe tantæ dignitatis, quod ſis Sanctæ Trinitatis ſeſſione proxima. *Ave Maria.*

Gaude Mater Miſerorum, quia Pater ſæculorum dabit Te colentibus congruentem hic mercedem, & felicis poli ſedem regnis in cæleſtibus. *Ave Maria.*

Gau-

Gaude Virgo Mater pura, certa manens & secura: quia Tua gaudia non cessabunt, sed durabunt & florebunt, per æterna sæcula. *Ave Maria.*

Antiphona.

O Sponsa Sancta & humilis Virgo, pulcherrima Maria, Mater DEI, Virgo electa, esto mihi via recta, ad æterna gaudia, ubi pax est & gloria, & me semper aurê piâ, exaudi MARIA.

℣. Exaltata es Sancta Dei genitrix.

℟. Super choros Angelorum ad cœlestia regna.

Oratio.

O Dulcissime Domine JESU Christe, Fili Dei vivi, qui humilem, benignam, & pulcherrimam, Virginem Mariam, Matrem Tuam pijssimam, perpetuis & felicibus gaudiis Tecum in cœlo Coronatam lætificasti: concede propitius, ut ejusdẽ meritis gloriosis, & præcibus conti-

nuis

nuis, ſalutem & proſperitatem mentis & corporis, cum gaudio, alacritate, & abundantia, omnium bonorum Spiritualium & corporalium cõſequamur; Et in hoc ſæculo piè, juſtè, caſtè, ac benignè vivamus: ut poſt tranſitum hujus ſæculi, ad gaudia æterna pervenire feliciter valeamus. Amen.

CORONA GLORIOSISSIMÆ DEIPARÆ VIRGINIS MARIÆ

Duodecim ſtellarum, id eſt excellentiarum, quibus omnibus in cœlo præfulget eminentior, à S. Ioanne Apocal: 12 viſa. Pro hac Coronâ recitanda & conſervanda, V. P. F. Raphael de Lgota, Annô Domini 1521. impetravit à LEONE X. *Fratribus Minorum*

norum de Obſerv: 12. millia Annorum, toties quotiès eâ intentione, 1. pro reverentia Virginis 2. pro Summo Pontifice, 3. pro univerſali Eccleſiá, recitaverint.

Oratio præparatoria ante Coronam, corde ruminanda, vel ſimul & ore recitanda

O Excellentiſſima, & digniſſima ſemper Virgo Mater Domini noſtri JESU Chriſti, Regina mundi poſt Deum potentiſſima, ſapientiſſima, & clementiſſima Mater & Advocata noſtra, quæ nullum deſpicis licet fætidiſſimum peccatorem ſed omnibus ſinum miſericordiæ aperis, quicunq; ad Te contritô corde humili & ſincerô recurrerint. Digneris nunc inclinare aures Tuæ pietatis, indignis ſupplicationibus noſtris; nã omnia potes dare, & impetrare: & recole ô Mater miſericordiæ, ad hoc Tibi datũ, & de Virgineo corde Tuo incarnatum, inexhauſtum fontem miſeri-

fericordiæ; Tibiq; commiſſum munus miſerendi, ut omnibus miſeris, miſeriam ſuam coram Te confitentibus, & miſericordiam Tuam poſtulantibus, miſericorditer gratiam obtineas, multitudinemquè peccatorum ac defectuum noſtrorum charitate Tuâ operias. Deprecor ergo Te indignus, ut in ſupplementum indulgentiarum noſtrarum, digneris orationes noſtras Tuis puriſſimis laudibus unitas, in commemoratione virtutum, & excellentiarum Tuarum, quibus Te ipſi altiſſimo Domino ſuper omnes complacere recognoſcimus, offerre meq; recolentem eas ad gloriam Dei, & honorem Tuum, ac ſalutem & pacem eorum, pro quibus tenemur vel intendimus, ut Tu vis nos orare: digneris juxta divinum beneplacitum, & Tuam liberalem munificentiam; earundem participem facere.

Primum Pater noſter.

Prima stella, prælectæ prædestinationis.

Ave per cor JESU prædilecti Filij Tui candidissimum lilium fulgidæ, semperquè tranquillæ Trinitatis, speciosissima Maria ab æterno in Filiam Dei Patris prædestinata, in Matrem Dei Filij præelecta, & in Sponsam Spiritûs Sancti prædelicta gratiâ plena, &c. ô certa post unigenitum salus fidelium, ora Filium tuum, ut me quoq; prædestinatum áb æterno, dignetur eligere: & nomen in libro vitæ meum scribere. Amen.

Secunda stella singularis præservationis.

Ave per cor JESU prædilecti Filij Tui vernans Rosa cœlestis amænitatis, purissima Maria, ab omni prorsus labe peccati singulari privilegiô præservata, gratiâ plena Dominus Tecum, benedicta, &c. ora pro me, spes mea, ut nos dignetur dilectus natus tuus ab omnibus peccatis mortalibus, ad glotiam nominis sui, semper præservare. Amen. Ter-

Tertia stella, summæ delectationis.

Ave per cor JESU prædilecti Filii Tui, Ancilla Domini solitaria, altissimæ Trinitati super omnes amantissima, & gratissima, MARIA gratiâ plena, &c. ô dulcedo cordis mei, effice præcibus Tuis, ut ipsi dulcissimo Domino nostro placeamus, & eum totis viribus spiritûs, animæ, & corporis diligamus. Amen.

Quarta stella, intimæ familiaritatis.

Ave per cor Jesu prædilecti Filij Tui flagrantissima viola divinæ svavitatis, secretissimi sponsi secretissima Sponsa Maria Deo ipsi super omnes animâ & corpore familiarissima, gratiâ plena, &c. ô dulce præsidium meum, fac nos Tibi & Filio Tuo, per vitæ sanctimoniam, & spiritûs unionē familiares. Amen.

Quinta stella, Virgineæ facunditatis.

Ave per cor Jesu prædilecti Filij Tui, odoriferum Deitatis reclinatorium,

um, virgineâ fæcunditate & fæcundâ virginitate admirabilis Maria gratiâ plena, Dominus, &c. ô refugium meum, segrega mentem meam à desideriis terrenis, & eam in amore rerum cœlestium fige, ad laudem unigeniti tui sempiternam. A.

Sexta stella, maternæ electionis.

Ave per cor Jesu prædilecti Filij tui, mundissima Dei cella Maria sola in Matrem Dei electa, dignissimaq; inventa, de cujus virginei cordis purissimô sanguine carnem assumeret, gratiâ plena, &c. ô Virgo decoris stupendi, impetra mihi perfectam cordis puritatem, ut sim ex eorum numero, quorum animas unigenitus Dei Filius tuus dignetur inhabitare, Amen.

Septima stella, gratiæ plenitudinis.

Ave per cor Jesu prædilecti Filij tui amœnissima, Paradysus cunctorū odore florum redolens Maria, omnibus

bus gratijs divinis ſuperabundanter plena, Dominus Tecum, benedicta Tu, &c. ô delicioſiſſimum Divinitatis tabernaculum, reple cor noſtrũ, & ſenſum noſtrum ex plenitudine gratiæ Tuæ quam ad omnes diffundendum accepiſti, Amen.

Octava ſtella, firmiſſimæ perſeverantiæ.

Ave per cor Jeſu prædilecti Filij Tui, munitiſſima turris, omnium Te laudantium in bono ſuper omnes Sanctos finaliter ſtabiliſſima Maria, gratiâ plena, &c. o vitæ meæ Refugium adjuva me laborantem, protege me pugnantem, & confirma me vacillantem: Te amet, Te veneretur, Tibi benedicat anima mea in æternum. Amen.

Nona ſtella, immenſæ fructificationis

Ave per cor Jeſu prædilecti Filij Tui, exuberantiſſimus hortus, fructus ventris Tui ſatians omnem creaturã in cælo & in terra, fructuoſiſſima Ma-

ria, gratiâ, &c. Virgo admirabilis, dona mihi odorem ſanctæ converſationis ex Te hauſtum apud omnes ſpirare, ut quantum in me eſt, nemini ſim gravis, neminem ſcandalizem, ſed omnes ad Dei amorem, ſuiquè & mundi cognitionem & contemptum, ex me provocari poſſint, Amen.

Decima ſtella, liberaliſſima potentia,

Ave per cor Jesu prædilecti Filij Tui liberaliſſima clavigera, & potentiſſima diſpenſatrix theſaurorum Regni cæleſtis, Maria, per quã Deus omnia largiatur omnibus ſuas divitias poſtulantibus, gratiâ plena, &c. ô certa in Deum fiducia mea, largire mihi gratiam de theſauris Tuis, per quam Tibi & Filio Tuo placeam. Amen.

Undecima ſtella, ſumma reverentia.

Ave per cor Jeſu prædilecti Filij Tui Regina illuſtriſſima, cujus pedibus

totus orbis jure provolvitur, & omnis ſexus & ætas meritò verticem inclinat Tibi reverendiſſima MARIA, gratiâ plena Dominus Tecũ, &c. ô totius elegantiæ fœmina, aſſume me in ſervum Tuũ, adopta me in filium Tuum, ut inter illos numerer, quos Virgineô Tuô pectori inſcriptos amas, doces, dirigis, confortas, illuminas, adjuvas, & protegis, Am.

Duodecima ſtella, ſummæ praeminentia.

Ave per cor Jeſu prædilecti Filij Tui Domina præcellentiſſima, & inter Sanctos poſt Dominum mundi potentiſſima, ſapientiſſima, eminentiſſima, affluentiſſima, efficaciſſima, ſpecioſiſſima, & communiſſima MARIA, quia unà poſt Dominum universorum, nihil habet cæleſtis curia in ſua aula excellentiùs & admirabiliùs, gratiâ plena, &c. ô decies & millies beata, irradia mentis meæ intima, ſereniſſimô vultus tui ſplendore,

dore, recollige servuli Tui dispersas cogitationes, & cor meum totum in laudibus Tuis divinis occupa, ut ipso dulcissimo Filio Tuo placere, & in æternum ipsum adorare, contemplari & fruitivè complecti mereamur, Amen. Ita quæsumus, fiat sicut scis, vis, & potes; & sicut Te jam sæpiùs fecisse grati & memores profitemur Amen.

ORATIO.

AVe Sanctissima MARIA Mater Dei, Regina cæli, porta paradysi, Domina mundi; singularis & pura Tu es Virgo. Tu concepisti JESUM sine macula Tu peperisti Creatorem & Salvatorem mundi, in quo ego non dubito, libera me ab omni malo, & ora pro peccatis meis, AMEN.

OFFICIUM IMMACULATÆ CONCEPTIONIS, B. M. V.

AD MATUTINUM.

℣. Eja mea labia nunc annunciate.
℟. Laudes & præconia Virginis Beatæ.

Domina in adjutorium meum intende.
Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, Sicut erat &c.

HYMNUS.

SAlve mundi Domina, cælorum Regina: Salve Virgo virginum, stella matutina.

Salve plena gratiæ, clara lux Divina: mundi in auxilium, Domina festina.

Ab æterno Dominus Te præordinavit, Matrem unigeniti verbi, quô creavit.

Terram pontum, æthera: Te pulchram ornavit sibi Sponsam, quæ ut in Adam non peccavit.

℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam.

℟. In tabernaculo suo, habitare fecit eam.

Domina exaudi orationem meam.
Et clamor meus, &c.

O R A T I O.

SAncta Maria Regina cœlorum, Mater Domini nostri Jesu Christi, & mundi Domina, quæ nullum derelinquis, & nullum despicis: respice me Domina clementer oculô Tuæ pietatis, & impetra mihi apud Tuum dilectum Filium, cunctorum veniam peccatorum; ut qui nunc Tuam sanctam Conceptionem devotô affectu recolo, æternæ in futurum

beatitudinis bravium capiam, ipsô, quem Virgo peperisti, donante Dominô nostrô Jesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu S. vivit & regnat in Trinitate perfecta Deus, in sæcula sæculorum. Amen.

AD PRIMAM.

Domina in adjutorium, &c.

HYMNUS.

SAlve Virgo sapiens, domus Deo grata, columna septemplici mēsaq; exornata.

Ab omni contagio mundi præservata: ante Sancta in utero parentis quàm nata.

Tu Mater viventium, & porta es Sanctorū, Nova Stella ex Jacob, Domina Angelorum.

Zabulo terribilis, acies castrorum, portus & refugium sis Christianorum.

℣. Ipse creavit eam in Spiritu Sancto.

℣. Et effudit eam super omnia opera sua.

Oratio, *ut supra,* Sancta Maria &c.

AD TERTIAM.

Domina in adjutorium, &c.

HYMNUS.

SAlve Arca fœderis, thronus Salomonis, arcus pulcher ætheris, rubus visionis.

Virga frondens germinis, vellus Gedeonis; porta clausa Numinis & favus Samsonis.

Decebat tam nobilem natum præcavere, Te ab originali labe Matris Evæ.

Almam quam elegerat Genitricem verè, nulli prorsus patiens culpæ subjacere.

℣. Ego in altissimis habito.

℟. Et thronus meus in columna nubis.

Oratio, *ut supra.*

AD SEXTAM.

Domina in adjutorium, &c.

HYMNUS.

SAlve ô puerpera, templum Trinitatis, Angelorum gaudium cella puritatis: ſolamen mærentium, hortus voluptatis, palma patientiæ, cedrus caſtitatis.

Terra es benedicta, & ſacerdotalis, ſancta atquè immunis culpæ originalis: civitas Altiſſimi porta orientalis, in te eſt omnis gratia Virgo ſingularis.

℣. Sicut lilium inter ſpinas.

℟. Sic amica mea inter filias Adæ.

Oratio, ut ſupra.

AD NONAM.

Domina in adjutorium &c.

HYMNUS.

SAlve urbs refugij, turriſq; munita, David propugnaculis armiſq; inſignita.

Tu in Conceptione charitate ignita,

gnita, infernalis poteſtas eſt à te cõtrita.

Eja mulier fortis, & invicta Judith, pulchra Abiſai Virgo verum fovens David; Rachel procuratorem Ægypti geſtavit; ſed Salvatorem mũdi Maria portavit.

℣. Tota pulchra es amica mea.

℟. Et macula originalis, non eſt in te.

Oratio, *ut ſupra.*

AD VESPERAS.

Domina in adjutorium &c.

HYMNUS.

SAlve horologium, quo retrò trahatur ſol in decem lineis, Verbum incarnatur.

Homo ut ab inferis ad ſumma tollatur, immẽſus ab Angelis paulò minoratur.

Solis hujus radiis Maria coruſcat, & conſurgens aurora in conceptu micat.

Lilium inter ſpinas, quæ ſerpentis terat caput, pulchra ut luna, errantes colluſtrat.

℣. Ego feci in cælis ut oriretur lumen indeficiens

℟. Et ſicut nebula texi omnem terram.

Oratio, *ut ſupra.*

AD COMPLETORIUM.

Convertat nos, Domina, tuis precibus placatus Jesus Chriſtus Filius Tuus. Et divertat iram ſuã à nobis.

Domina in adjutorium &c.

HYMNUS.

SAlve Virgo nobilis, Mater illibata, Regina clementiæ, ſtellis coronata.

Supra omnes Angelos pura immaculata, atq; ad Regis dexteram ſtans veſte inaurata.

Per Te Mater gratiæ dulcis ſpes reorum, refulgens ſtella maris, portus naufragorum, patens cæli janua,

ſalus

salus infirmorum, videamus Triadē in aula Sanctorum.

℣. Oleum effusum Maria nomen Tuum.

℟. Servi tui dilexerunt Te nimis.

Oratio, *ut supra.*

Commendatio.

SUpplices offerimus tibi Virgo pia, has horas Canonicas, fac, nos ut in via, ducas cursu prospero, & in agonia præsens nobis assiste ô dulcis MARIA. Amen.

Sequens. Antiph. *à Paulo V. Pontif. Max. approbata, qui eandem cum Oratione Immaculatæ Virg. Concept. omnibus recitantibus, concessit Centum annorum Indulg.*

A N T Y P H O N A.

Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.

℣. In Conceptiōe Tua Virgo immaculata fuisti.

℣. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti.

O R A T I O.

DEus qui per immaculatam Virginis Conceptionem, dignum Filio Tuo habitaculum præparasti: quæsumus, ut qui ex morte ejusdem Filij sui prævisâ, eam ab omni labe præservasti, nos quoq; mundos ejus intercessione, ad te pervenire concedas. Per eundem.

Canticum SS. Ambrosij & Augustini, transmutatum in laudem gloriosissimæ V. M. à S. Bonaventura.

TE Matrem DEI laudamus: Te MARIAM Virginem profitemur

Te æterni Patris sponsam omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli, & Archangeli: tibi throni & Principatus, fideliter deserviunt.

Tibi omnes potestates, & omnes virtutes: cœli cælorum, & universæ dominationes obediunt.

Tibi omnes Chori: Tibi Cherubim & Seraphim, exultantes assistunt.

Tibi omnis Angelica creatura, incessabili voce proclamat

Sancta, Sancta, Sancta Maria Dei Genitrix, Mater & Virgo.

Pleni sunt cœli & terra Majestatis gloriæ fructûs ventris tui.

Te gloriosus Apostolorum chorus, sui creatoris Matrem collaudat.

Te beatorum Martyrum cætus cādidatus, Christi Genitricē glorificat.

Te gloriosus Confessorum exercitus, Trinitatis templum apellat.

Te Sanctarum Virginum chorea amabilis, Virginitatis & humilitatis exemplum prædicát.

Te tota cœlestis curia, cœli Reginam honorat.

Te per universum orbem, Ecclesia invocando concelebrat.

Matrem divinæ majestatis:

Venerandam te veram Regis cœlestis puerperam.

San-

Sanctam quoquè dulcem & piam.

Tu Angelorum Domina; Tu paradysi janua.

Tu scala regni cœlestis & gloriæ: Tu thalamus, & arca pietatis & gratiæ.

Tu vena misericordiæ: Tu Sponsa & Mater Regis æterni.

Tu templum, & sacrarium Spiritûs Sancti, totius beatissimæ Trinitatis nobile triclinium.

Tu mediatrix Dei & hominum, amatrix mortalium, & cœlestium illuminatrix.

Tu agonizatrix pugnantium, advocata pauperum, miseratrix & refugium peccatorum.

Tu erogatrix munerum, superatrix ac terror dæmonum, & superborum.

Tu mundi Domina, post Deum sola spes animæ.

Tu salus Te invocantiũ, portus naufra-

naufragantium, miserorum solatium, pereuntium refugium.

Tu Mater omnium beatorum, gaudium plenum post Deum omnium supernorum civium solatium.

Tu promotrix justorum, congregatrix errantium promissio Patriarcharum.

Tu veritas Prophetarum, præmium, & doctrix Apostolorum, & Magistra Evangelistarum.

Tu fortitudo Martyrum, exemplar Confessorum, honor & festivitas Virginum.

Tu ad liberandum exulem hominem, Filium Dei suscepisti in uterum.

Per Te expugnatô hoste antiquô, sint aperta fidelibus regna cœlorum.

Tu cum Filio Tuo sedes ad dexteram Patris.

Tu ipsum pro nobis roga, Virgo Maria, quem ad nos judicandũ credimus esse venturum. Te

Te ergo poſcimus, nobis famulis ſubveni, qui pretioſô ſanguine Filij Tui redempti ſumus.

Æterna fac pia Virgo, cum ſanctis Tuis nos in gloria munerari.

Salvum fac populum Tuum Domina, ut ſimus participes hæreditatis Filij Tui.

Et rege nos, & cuſtodi nos in æternum.

Per ſingulos dies, ô pia, Te ſalutamus.

Et laudare Te cupimus uſquè in æternum, mente & voce.

Dignare dulcis MARIA, nunc & ſemper, nos ſine delicto conſervare.

Miſerere pia nobis, miſerere pia.

Fiat miſericordia Tua magna nobiſcum, quia in Te Virgo Maria confidimus.

In Te dulcis Maria ſperamus, nos defendas in æternum.

Te decet laus, Te decet imperiũ; Tibi virtus & gloria, in ſæcula ſæculorum. Amen.

SE-

SEPTEM PSALMI POENITENTIALES B. M. VIRGINIS.

Ex Psalterio S. Bonaventuræ desumpti.

Antiph. Sub Tuum præsidium &c.

DOmina ne in furore Dei sinas corripi me, neq; in ira ejus judicari.

Propter honorem nominis Tui Domina, propitietur nobis fructus gloriosi ventris Tui.

De porta inferi, & de ventre abyssi, Tuis Sanctis precibus libera nos.

Aperiantur nobis januæ sempiternæ: ut enarremus in æternum mirabilia Tua.

Quia non mortui, nequè qui in inferno sunt laudabunt Te Domina: sed qui Tuâ intercessione vitam æternam obtinebunt. Gloria

Gloria Patri, &c.

BEati quorum corda Te diligunt, Virgo Maria, peccata ipſorum à Te miſericorditer diluentur.

Sancta, caſta, & florigera ubera Tua: quæ in florem viriditatis perpetuæ eruperunt.

Decor pulchritudinis Tuæ corruptionem non videbit: & vultûs tui gratia in perpetuum non marceſcet.

Benedicta tu virga Jeſſe ſublimis: quæ Te uſque ad ſedentem in throno dilataſti.

O Virgo Regina, Tu ipſa es via: per quam nos ſalus de ſupernis ſedibus viſitavit.

Gloria Patri, &c.

DOmina ne in furore ſuo arguat me Dominus: nobis veniam obtine de peccatis.

In conſpectu Tuo ſit õne deſiderium noſtrum: ſpes noſtra, & confidentia noſtra.

Cor meum conturbatum est in me: recessit lux de visceribus meis.

Illumina splendore Tuô cæcitatem meam: dulcifica dulcore Tuô contritionem meam.

Ne derelinquas nos Domina Mater Dei: gratia & virtus sit à dextris meis.

Gloria Patri, &c.

Miserere mihi Domina: quæ Mater misericordiæ nuncuparis.

Et secundum viscera misericordiarum Tuarũ: munda me ab omnibus iniquitatibus meis.

Effunde gratiam Tuã super me: & solitam clementiam Tuã ne subtrahas à me.

Quoniam peccata mea confitebor Tibi, & coram Te me accuso de sceleribus meis.

Fructui ventris tui me reconcilias; & purifica me ei, qui me creavit.

Gloria Patri, &c.

DOmina exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

Non avertas sacrum aspectum tuum à me; neq; abomineris me propter immunditiam meam.

Ne derelinquas me in cogitatu & consilio inimicorum meorum: & ne sinas me cadere in exprobrationem illorum pessimam.

Qui confidunt in Te, non timebunt colubrum tortuosum, & qui exaltant te præconijs, evadunt manus Acherontis.

Per Virginalem conceptum tuum da mihi in te confidentiam bonam: & per admirabilem partum tuum lætifica animam meam.

Gloria Patri, &c.

DE profundis clamavi ad Te Domina: Domina exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem

vocem laudis, & glorificationis tuæ.

Libera me de manu adversariorum meorum: confunde ingenia & conatus eorum contra me.

Erue me in die mala. & in die mortis ne obliviscaris animæ meæ.

Deduc me ad portum salutis: inter justos scribatur nomen meum.

Gloria Patri, &c.

DOmina exaudi orationem meam: percipe tuis auribus supplicationem meam.

Persecutus est malignus vitam meam: deposuit in terra conversationem meam.

Denigravit me caligine suâ, & anxiatus est nimis spiritus meus.

Ne avertas faciem tuam à me, ut non corruã cũ descendentibus in lacum.

Emitte lucem Tuam, & gratiam Tuã, & repara denuò vitam meam, & conscientiam meam.

Gloria Patri, &c. Anti-

Antiphona. Sub Tuum præsidium confugimus sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed à periculis cunctis libera nos Virgo semper gloriosa & benedicta.

LITANIÆ
B. V. MARIÆ.

KYrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cælis DEUS, Miserere nobis
Fili Redemptor mundi DEUS miserere nobís.
Spiritus Sancte DEUS, Miserere nobis.
Sancta TRINITAS unus DEUS, miserere nobís.
Sancta MARIA, ora pro nobis.

Sancta Dei Genitrix, ora.
Sancta Virgo Virginum, ora.
Mater Christi,
Mater Divinæ gratiæ,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Virgo Cōcepta sine peccato Originali
Speculum justitiæ,
Sedes Sapientiæ,
Causa nostræ lætitiæ,
Vas Spirituale,
Vas honorabile,

Ora pro nobis.

Ora pro nobis.

Vas

Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea
Domus aurea,
Fœderis arca,
Janua cæli,
Scala paradysi,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium,
Regina Regni Poloniæ,
Regina Ordinis Minorum

Ora pro nobis.

Ora pro nobis.

Agnus

Agnus Dei qui tollis peccata mundi Parce nobis Domine
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
℣. Ora pro nobis, &c.
℟. Ut digni efficiamur &c.

Oremus.

GRatiam Tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde, ut qui Angelô nunciante, Christi Filij Tui incarnationem cognovimus, per Passionem ejus & Crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

℣. Ego dixi Domina miserere mei.
℟. Sana animam meam quia peccavi. Deo.
℣. Converte misericordiam Tuam super nos.
℟. Et deprecabilis esto super servos Tuos.

℣. Ostende potentiam tuam contra inimicos nostros.

℟. Ut justificeris in nationibus populorum.

℣. Miserere servorum tuorum, super quos invocatum est nomen tuum.

℟. Et ne sinas angustiari eos in tentationibus suis.

℣. Ne proijcias nos in tempore mortis nostræ.

℟. Et succurre animæ, cùm deseruerit corpus suum.

℣. Esto nobis Domina turris fortitudinis.

℟. Et petra durissima contra inimicum.

℣. Adjuva me Domina, ne corruam coram eo.

℟ Fac ut conteratur sub pedibus meis.

℣. Exaudi orationem meam & deprecationem meam.

℟. Et

℟. Et confundantur adverſarij mei.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui pro nobis de caſtiſſima Virgine MARIA naſci dignatus es: fac nos Tibi caſtô corpore ſervire, & humili mente placere.

ORamus etiam Te pijſſima Virgo Maria, mundi Regina, & Angelorum Domina: ut eis quos in purgatorio ignis examinat impetres refrigerium, peccatoribus indulgentiam, & juſtis perſeverantiam in bono. Nos quoquè fragiles, ab omnibus inſtantibus defende periculis. Per Dominum noſtrum &c.

SUpplex Te rogo & obteſtor, ô Sanćte N. digneris ante conſpećtū Domini mei miſerrimi peccatoris recordari, ut Tuis meritis, & deprecationibus; ab omnibus, tum corpo-

ris, tum animæ malis defendar, & in omni virtute,& opere bono, quàm maximè proficiam, Amen.

Alia Oratio.

DEUS propitius esto mihi peccatori & custos mei omnibus diebus vitæ meæ. Deus Abraham Deus Jsaac, Deus Jacob, miserere mei & mitte in adjutorium meum Sanctum Michàélem Archangelum, qui me custodiat, protegat, foveat, visitet, & defendat ab omnibus inimicis visibilibus, & invisibilibus, spiritualibus, & temporalibus, Sancte Michàél Archangele, defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio. Sancte Michàél Archangele, per gratiam quam meruisti habere, Te deprecor, & per unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, ut eripias me ab universis malis, præteritis, præsentibus, & futuris; intercedente etiam apud De-

um

um gloriosissimâ Virgine Mariâ, cum omni societate cœlesti. Sancte Raphäël, omnes sancti Angeli, & Archangeli Dei, succurrite mihi peccatori. Precor vos omnes virtutes cœlorum, ut nullus inimicus mihi nocere possit, nec in via, nec in aqua nec in igne, nec in domo, nec extra domum, nec eundo, nec redeundo, nec vigilando, nec dormiendo, nec comedendo, nec aliquid faciendo.

Ecce signum Crucis Domini nostri Jesu Christi, fugite partes adversæ, Alleluia, Salvator noster, qui per sanguinem Tuum, & Crucem, salvasti mundum, salva me hodie, & in omnibus diebus vitæ meæ. Agios, ô Theos, Athanatos: ô Crux Christi adjuva me: ô Crux Christi defende me, ô Crux Christi salva me omnibus diebus vitæ meæ. In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, A.

OFFICIVM S. CRVCIS

AD MATUTINUM.

℣. Per signum Crucis de inimicis nostris.

℟. Libera nos Deus noster.

Domine labia mea &c.

Deus in adjutorium &c.

HYMNUS.

PAtris sapientia, veritas divina, Deus homo captus est horâ mâtutinâ. A suis discipulis citò derelictus. A Judæis traditus, venditus & afflictus.

Antiphona. O Crux venerabilis quæ salutem attulisti miseris, quibus Te efferam præconijs, quoniam vitam nobis cœlitem præparasti?

℣. Adoramus Te Christe, & benedicimus tibi.

℟. Quia per sanctam, &c.

ORA-

ORATIO.

DOmine JESU Christe, Fili Dei vivi; pone Passionem, crucem, & mortem Tuam, inter judicium Tuum, & animam meam, nunc & in hora mortis meæ: & mihi largiri digneris gratiam & misericordiam, vivis & defunctis veniam & requiem, Ecclesiæ Tuæ pacem & concordiam, & nobis peccatoribus vitam & gloriam sempiternam. Qui vivis & regnas, &c.

AD PRIMAM.

Per signum Crucis, &c.
Deus in adjutorium &c.
Domine ad adjuvandum &c.

HYMNUS.

HOrâ primâ Dominum ducunt ad Pilatum, & à falsis testibus multum accusatum. Colaphis percutiunt manibus ligatum; Vultum Dei conspuunt, lumen cœli gratum.

Antiph. O Crux victoria & admirabile

rabile ſignum, in cœleſti curia fac nos captare triumphum.

Verſus, & Oratio, *vt ſupra.*

AD TERTIAM.

Per ſignum Crucis, &c.

Deus in adjutorium, &c.

HYMNUS.

CRucifige, clamitant horâ tertiarum: Illuſus induitur veſte purpurarum Caput ejus pungitur coronâ ſpinarum, Crucem portat humeris ad locum pœnarum.

Antiph. Funeſtæ mortis damnatur ſupplicium, dum Chriſtus in cruce noſtra deſtruxit vincula criminum.

Verſus, Oratio, *vt ſupra.*

AD SEXTAM.

Per ſignum, &c.

Deus in adjutorium &c.

HYMNUS.

HOrâ ſextâ Ieſus eſt cruci conclavatus. Et eſt cum latronibus pendens deputatus, Præ tormen-

tis

tis sitiens felle saturatus: Agnus crimen diluens sic ludificatus.

Antiph: Per lignum servi facti sumus, & per sanctam crucem liberati sumus: fructus arboris seduxit nos, Filius Dei redemit nos.

Versus, Oratio, *vt supra.*

AD NONAM.

Per signum Crucis, &c.

Deus in adjutorium, &c.

HYMNUS.

HOrâ nonâ Dominus Jesus expiravit, Eli clamans spiritum Patri commendavit: Latus ejus lanceâ miles perforavit, Terra tunc contremuit, & sol obscuravit.

Antiph. O magnum pietatis opus, mors mortua tunc est, quãdo in ligno mortua vita fuit.

Versus, Oratio, *vt suprà.*

AD VESPERAS.

Per signum Crucis, &c.

Deus in adjutorium, &c.

HYMNUS,

DE cruce deponitur horâ vespertinâ, Fortitudo latuit in mente divina: Talem mortem subijt vitæ medicina Heu corona gloriæ jacuit supina

Antiph. O Crux benedicta quæ sola fuisti dignè portare talentum mũdi: ô dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera: super omnia ligna cedrorum, tu sola excelsior, in qua salus mundi pependit, in qua Christus triumphavit, & mors mortem superavit in æternum.

Versus, Oratio, *vt supra.*

AD COMPLETORIUM.

Per signum Crucis, &c.
Converte nos Deus, &c.
Deus in adjutorium &c.

HYMNUS.

HOrâ Completorij datur sepulturæ, Corpus Christi nobile, spes vitæ futuræ: Conditur aromate, com-

complētur ſcripturæ, Jugi ſit memoriæ mors hæc mihi curæ.

Antiph Salvator mundi ſalva nos, qui per crucem & ſanguinem Tuum redemiſti nos, auxiliare nobis; Te deprecamur Deus noſter.

Verſus, Oratio, *vt ſupra.*

Commendatio.

Has horas canonicas cum devotione, Tibi Chriſte recolo piâ ratione: Ut qui pro me paſſus es amoris ardore. Sis mihi ſolatium mortis in agone.

LITANIÆ DE NOMINE JESU.

KYrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis DEUS, miſere.
Fili redemptor mundi DEUS, miſe.

Spiritus Sancte DEUS,
Sancta TRINITAS unus DEUS,
Jesu Fili DEI vivi,
Jesu potentissime,
Jesu fortissime,
Jesu perfectissime,
Jesu gloriosissime,
Jesu mirifice,
Jesu jucundissime,
Jesu charissime,
Jesu pulchrior lunâ,
Jesu splendidior stellis,
Jesu delectabilis,
Jesu admirabilis,
Jesu honorabilis,
Jesu humillime,
Jesu pauperrime,
Jesu mitissime,
Jesu patientissime,
Jesu obedientissime,
Jesu castissime,
Jesu amator castitatis,
Jesu amator pacis,

Miserere nobis.

Miserere nobis.

Jesu

Jesu amator noster,
Jesu speculum vitæ,
Jesu exemplar virtutum,
Jesu decus morum,
Jesu zelator animarum,
Jesu refugium nostrum,
Jesu Pater pauperum,
Jesu consolator afflictorum,
Jesu thesaurus fidelium,
Jesu gemma pretiosa,
Jesu armarium perfectionis,
Jesu bone pastor ovium,
Jesu stella maris,
Jesu lux vera,
Jesu sapientia æterna,
Jesu bonitas infinita,
Jesu gaudium Angelorum,
Jesu Rex Patriarcharum,
Jesu inspirator Prophetarum,
Jesu Magister Apostolorum,
Jesu Doctor Evangelistarum,
Jesu fortitudo Martyrum,
Jesu lumen Confessorum,

Miserere nobis.

Miserere nobis.

Jesu sponse Virginum, misere.
Jesu corona Sanctorum omnium, m.
Propitius esto, Parce nobis Jesu.
Propitius esto, Exaudi nos Jesu.
Ab omni malo, Libera nos Jesu.
Ab ira Tua, Libera nos Jesu.
Ab insidijs diaboli. Libera nos.
A peste, fame, & bello. Libera nos.
A transgressione mandatorum tuorum. Libera nos Jesu.
Ab incursu omnium malorum. lib.
Per incarnationem tuam, Lib.
Per adventum tuum. Libera.
Per nativitatem tuam. Libera.
Per circumcisionem tuam. Libera.
Per labores tuos, Libera nos.
Per dolores tuos, Libera nos.
Per flagella tua, Libera nos.
Per mortem tuam, Libera nos.
Per resurrectionem tuam, Libera.
Per gaudia tua. Libera.
Per gloriam tuam, Libera.
Per dulcissimam Virginem Mariam

Matrem Tuam, Libera.
Per intercessionem omnium Sanctorum Tuorum, Libera.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Jesu.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Jesu audi nos.
Jesu exaudi nos.
Kyrie eleison.
Chryste eleison.
Kyrie eleison.

Pater noster, Ave Maria.

℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc & usquè in sæculum.

O R A T I O.

DOmine Deus, Pater omnipotens, qui justis præmia, & delinquentibus veniam promisisti, qui nō vis mortem peccatorum nec lætaris in perditione morientium. Te suppli-

pliciter deprecor, ut mihi famulo tuo N. dones per merita sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ, & omnium Sanctorum Tuorum; & per Tuam misericordiam, remissionem omnium peccatorum meorum, & perducas me ad illam pœnitentiam, per quam David salvasti, & Petrum flentem respexisti, & Mariam Magdalenam mundasti. Expelle Domine Jesu Christe de corde meo, quæ Tibi displicent, & talem mihi infunde amorem, ut Te perfectè diligere, & timere possim, ut nec cogitem, vel desiderem, nisi quod Tibi Domine placere cognovero. Deprecor Te beatissima Virgo Maria, templum Domini, sacrarium Spiritûs S. Ut intercedas pro me. Deprecor & vos Sanctos Archangelos Michàélem, Gabrielem, Raphàélem, & Sanctos Angelos, nobis ad custodiam deputatos, cum ordinibus Angelorum,

ut interveniatis pro me, Petrum, Paulum, Andream, Joannem, Jacobum, Thomam. Apostolosquè omnes, Martyres, Confessores, Virgines, omnesq; Sanctos & electos Dei imploro, ut dignentur mihi patrocinari, quando ante tribunal æterni Regis præsentatus ero ad judicandum. Commendo Tibi pijssime Christe Jesu, omnes diligentes me, & qui mei curam gerunt, & qui mihi opem misericordiæ tribuunt, & omnes debitores meos, sive propinquos. Et etiam Domine pro inimicis Te rogo, ut eos ad pacem convertas, & veram pœnitentiam agere concedas. Deprecor Te Domine Jesu Christe, ut omnes qui mei memoriam habent, & qui se indignis meis precibus commendaverunt, & qui mihi aliquid charitatis, vel pietatis impenderunt, seu & illi qui consanguinitate, vel familiaritate, vel compassionis affe-

ctu

ctu mihi propinqui ſunt, tam ipſi, qui nunc conſiſtunt in corpore, quàm illi qui teguntur funere, pietatis Tuæ clementiâ omnium delictorum ſuorum veniam conſequantur: mequè abſolvas ab omnibus pœnis, & perducas ad requiem ſempiternam. Et hoc magnificè ſupplico, ut cùm dies mortis meæ advenerit, Tu ipſe qui judicas, contra accuſatores fias mihi defenſor. Qui es benedictus in ſæcula ſæculorum Amen.

Pater noſter, Ave Maria.

SALUTATIO.

Membrorum Chriiſti Domini.

SAlve tremendum cunctis poteſtatibus caput Domini Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri pro nobis ſpinis coronatum, & arundine percuſſum.

Salve ſpecioſiſſima Salvatoris noſtri Jesu Chriſti facies, pro nobis ſputis & alapis cæſa.

Salve-

Salvete benignissimi Domini Jesu Christi Salvatoris nostri oculi, pro nobis lachrimis perfusi.

Salve mellifluum os, gutturquè svavissimum Domini nostri Jesu Christi, pro nobis felle & acetô potatum.

Salvete aures nobilissimæ Domini Jesu Christi, Salvatoris nostri, pro nobis contumelijs & opprobrijs affectæ.

Salve collum humile Jesu Christi, pro nobis colaphizatum, dorsumquè sanctissimum pro nobis flagellatum.

Salvete venerabiles Domini nostri Jesu Christi manus, & brachia pro nobis in cruce extensa.

Salve pectus mitissimum, Domini JESU Christi, Salvatoris nostri, pro nobis in passione conturbatum.

Salve latus gloriosissimum Domini nostri JESU Christi, pro nobis lãceâ militis, perforatum.

Salvete Domini Jesu Christi, Sal-

vatoris

vatoris nostri, sacra misericordiæ genua pro nobis in orationibus flexa.

Salvete Domini Jesu Christi, Salvatoris nostri pedes adorandi, pro nobis clavis affixi.

Salve corpus totum Jesu Christi, pro nobis in cruce suspensum, vulneratum, mortuum & sepultum.

Salve sanguis pretiosissime, de corpore Domini Jesu Christi, Salvatoris nostri, pro nobis effese.

Salve sanctissima Domini nostri Jesu Christi anima in manus Patris commendata.

In eadem commendatione Tibi commendo hodie, & quotidie, animam meam, vitam meam, cor & corpus meum, omnes sensus, & actus meos, omnes amicos, benefactores, propinquos consanguineos meos, & animas parentum, fratrum: sororum ac inimicorum meorum, ut nos protegere, liberare, & defende-

te digneris ab omnibus insidijs inimicorum nostrorum, visibilium & invisibilium, nunc & in perpetuum, Amen.

HORÆ COMPASSIONIS.

Beatissimæ V. MARIÆ.

MAter sapientiæ, rosa sine spina, MARIA ingemuit horâ matutinâ: Dum audivit Dominum captum & ligatum pergit Hierosolymam, ut videret natum.

AD PRIMAM.

Horâ primâ Dominum cæsum & afflictum Cernit, & ab impijs vinculis astrictum; Ad Pilatum Præsidem duci cum clamore. Tota tunc contremuit magno præ dolore.

AD TERTIAM.

Acclamantem populum horâ tertiarum, Crucifige percipit, cor fit plus amarum: Spinis punctum aspicit natum, & ferentem Crucem, sequens

quensFilium, mæstam habens mentē.

AD SEXTAM.

Horâ sextâ Dominum in cruce levari Respicit, & ferreis clavis conclavari; Premi membra Filij, & sanguinem fundi. Repletur doloribus Dominatrix mundi.

AD NONAM.

Horâ nonâ spiritum Patri commendantem, Audit Natum lugubri voce exspirantem: Cujus latus lanceâ quando perforavit, Genitricis viscera ferrum penetravit.

AD VESPERAS.

De Cruce depositum horâ vespertinâ. Tenet inter brachia cœlorum Regina. Quem dum lavit lachrimis madidum cruore. Se aspergit sanguinis sacrati dolore.

AD COMPLETORIUM.

Horâ Completorij, quando sepulturæ, Corpus sacrum traditur, Virgo Mater durè. Lamentatur ejulans

lans, se tam desolatam. Natôquè tam inclytô, sic fore privatam.

Commendatio.

Has horas Canonicas Tibi cum amore, Virgo Maria offero, pro Tuo dolore: Ut quæ crucem Filij mente pertulisti, nos ducas ad gaudia sẽpiterna Chrìsti. Amen.

Tuam ipsius animam doloris gladius pertransivit.

Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

Oremus.

INterveniat pro nobis, quæsumus, Domine Jesu Christe, nunc & ín hora mortis nostræ, apud Tuam clementiam sacratissima Virgo Maria Mater Tua, cujus sanctissimam animam in hora passionis Tuæ doloris gladius pertransivit, & intima cordis penetravit. Per Te Jesu Christe Salvator mundi. Qui vivis & regnas Deus benedictus in sæcula. Amen.

Planctus

Planctus B. M. Virginis.

STabat Mater dolorosa,
Juxta Crucem lachrymosa
Dum pendebat Filius.
Cujus animam gementem,
Contristantem & dolentem,
Pertransivit gladius.
O quam tristis & afflicta,
Fuit illa benedicta,
Mater unigeniti.
Quæ mærebat & dolebat,
Et tremebat cùm videbat
Nati pœnas inclyti.
Quis est homo qui non fleret,
Christi matrem si videret
In tanto supplicio?
Quis non posset contristari,
Piam Matrem contemplari,
Dolentem cum Filio?
Pro peccatis suæ gentis,
Vidit JESUM in tormentis,
Et flagellis subditum.
Vidit suum dulcem natum

Morientem desolatum,
Dum emisit spiritum.
Eja Mater fons amoris.
Me sentire vim doloris
Fac, ut Tecum lugeam.
Fac ut ardeat cor meum,
In amando Christum Deum,
Ut sibi complaceat
Sancta Mater istud agas,
Crucifixi fige plagas,
Cordi meo validè.
Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum divide.
Fac me verè Tecum flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Juxta crucem tecum stare;
Te libenter sociare,
In planctu desidero.
Virgo Virginum præclara;
Mihi jam non sis amara,
Fac me tecum plangere.

Fac ut portem Christi mortem
Passionis ejus sortem,
Et plagas recolere,
Fac me plagis vulnerari,
Cruce fac inebriari,
Ob amorem Filij.
Inflammatus & accensus,
Per Te Virgo sim defensus,
In die Judicij.
Fac me cruce custodiri,
Morte Christi præmuniri,
Confoveri gratiâ.
Quando corpus morietur,
Fac ut animæ donetur
Paradysi gloria. Amen.
℣. Tuam ipsius animam doloris gladius pertransivit.
℟. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.
Oratio. Interveniat, *vt supra fol: 95.*

OFFI-

OFFICIVM S. ANGELI CUSTODIS.

AD MATUTINUM.

℣. In conſpectu Angelorum pſallam Tibi Deus meus.

℟. Adorabo ad templum ſanctum Tuum & confitebor nomini Tuo.

Domine labia mea, &c

Deus in adjutorium, &c:

HYMNUS.

SAlve Cuſtos Angele Civis paradyſi. Impetra nunc Concivi, lumen quod amiſi. Ut quod Deo diſplicet malum declinare, & quod ipſe diligit valeã patrare. Tibi Pater luminũ, me cõmiſit cælicũ, Mihi ſanctum impetra lumen ut ſic mecum.

Antiph. Angele Dei, qui Cuſtos es mei: Me Tibi commiſſum pietate ſu-

perna; hodie illumina, custodi, rege, & guberna.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus vijs tuis.

ORATIO.

DEus, qui ineffabili providentiâ Sanctos Angelos Tuos ad nostram custodiam mittere dignaris: largire supplicibus tuis: & eorum semper protectione defendi, & æternâ societate gaudere. Per Dominum, &c.

AD PRIMAM.

℣. In conspectu Angel. &c.

℟. Deus in adjutorium, &c.

HYMNUS.

SAlve Custos Angele, vigil ô fidelis, Jam expulsis tenebris, fulget sol in cœlis Peccatorum tenebras, torporemq; mentis à me pelle gratiâ Christi omnipotentis: Cor-

pus

pus atq; animam libens Tibi trado, ut me totum dirigas, dum ad Deum vado.

Antiph. Vers. & Oratio *ut supra.*

AD TERTIAM.

℣. In conspectu Angelorum &c.

Deus in adjutorium, &c.

HYMNUS.

SAlve Custos Angele, rogo Te per Jesum, Ut me in periculis protegas illæsum. Offer preces Domino, quas dat cor devotum, Septiformi munere, replens illud totum, Per Te Sanctus Spiritus reddat me decorum. Qui hâc horâ imbuit cor Apostolorum.

Antiph. Versus, & Oratio, *vt supra.*

AD SEXTAM.

In conspectu Angelorum &c.

Deus in adjutorium, &c.

HYMNUS.

SAlve Custos Angele summi Regis miles, Cui omnes Dæmonis ma-

chinæ sũt viles. Me quærit,ut devoret, ficut leo rapax. Gloriæ, quam perdidit eò quodſum capax. Arma pro me ſuſcipe, quæſo Princeps fortis, Ut fugatis hoſtibus vitem viam mortis.

Antiph. Verſus, & Oratio, *vt ſupra.*

AD NONAM.

In conſpectu Angelorum. &c.

HYMNUS.

SAlve Cuſtos Angele, conſolator meus. Horâ nonâ obijt, pro me ChriſtusDeus. Sibi fac ut anima moriatur tota, & in bonis actibus ſemper ſit devota. Cor in Chriſti mortui plagis vitâ plenis, Abſcondatur liberum rebus à terrenis.

Antiph. Verſus, & Oratio, *vt ſupra.*

AD VESPERAS.

In conſpectu Angelorum, &c.

Deus in adjutorium, &c.

HYMNUS.

SAlve Cuſtos Angele, dono immorta-

mortalis, Hæc cum dies defecit vita corporalis, Meæ vitam animæ, spiritûs profectum, auge Tuis precibus redde me perfectum. De virtute ambulem semper in virtutem, Ut æternam moriens assequar salutem.

Antiph. Versus, & Oratio. *vt supra.*

AD COMPLETORIUM.

In conspectu Angelorum &c.
Converte nos Deus &c.
Deus in adjutorium, &c.

HYMNUS.

SAlve Custos Angele Virgini Mariæ me commenda jugiter, meæ Matri piæ. Cor amore saucia, tam magnæ Reginæ, ut cum Deo diligam ipsam sine fine, Et me horâ mortis, pariter tuentes, ad cœlestem Patriam ducite gaudentes

Antiph. Versus, & Oratio, *vt supra.*

Commendatio.

Has horas Canonicas, cum devotione, Tibi Custos Angele, pia rati-

one, Dixi, ut me visites inspiratione, Ac dignus efficiar Dei visione.

LITANIÆ

De SS. Angelis.

KYrie eleison. Criste eleison, Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos,
Pater de cœlis Deus, Miserere.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miserere.
Sancta Trinitas unus Deus, Misere.
Sancta MARIA, Ora pro nobis
Sancta DEI Genitrix, Ora pro.
Sancta Virgo Virginum, Ora.
S. Michäël dux exercitûs cœlestis. Ora pro nobis.
S. Michäël defensor assidue fidelium, Ora pro nobis.
S. Michäël Ecclesiæ Dei custos & Patrone, Ora pro nobis.

S. Michàël Princeps, & Dux noster. Ora pro nobis.
S. Gabriel mysteriorum Dei annunciator. Ora pro nobis.
S. Gabriel specialis custos Matris Dei nostri. Ora pro nobis.
S. Gabriel Pronube salutis nostræ. O.
S. Raphàël iter agentium Dux fidelissime, Ora pro nobis.
S. Raphàël dæmonis Propulsator, O.
S. Angele custos mei, comes tutelaris individue, Ora pro nobis.
Sancti Angeli, qui Throno Dei assistitis, Orate pro nobis.
Sancti Angeli, qui semper Deo, Sanctus, Sanctus, Sanctus, canitis, Orate pro nobis.
Sancti Angeli, cives beatæ Hierusalem, Orate pro nobis,
Sancti Angeli specula Dei splendidissima, Orate pro nobis.
Sancti Angeli mundi Rectores, Regnorum & populorum Domini, Orate pro nobis,

Sancti Angeli, amicorum Dei Protectores, & tribulatorum consolatores, Orate pro nobis.
Sancti Angeli, ad custodiam hominum destinati, Orate pro nobis.
Sancti Angeli, ex pœnitentia peccatorum lætantes, Orate pro nobis
Sancti Angeli, orationes nostras & bona opera Deo annunciantes, Orate pro nobis.
Sancti Angeli morituris præsentes, Orate pro nobis.
Sancti Angeli, animarum purgatarū ad cœlum deductores, Orate.
Omnes omnium ordinum beati Spiritus, Orate pro nobis.
A cunctis periculis per sanctos Angelos Tuos, Libera nos Domine.
Ab omnibus insidijs inimicorum, Libera nos Domine.
A subitanea & improvisa morte, Libera nos Domine.
A morte perpetua, Libera nos D.

A pe-

A peſte, fame, & bello, Libera nos.
Per ſanctos Angelos tuos, tribuens nobis victoriam, vivis omnibus gratiam, defunctis auxilium & miſericordiam. Libera nos Domine.
Chriſte decus Angelorum, Parce nobis Domine.
Chriſte ſplendor virtutum cœleſtium. Exaudi nos Domine.
Chriſte beatitudo omnium ſpirituum cœleſtium, Miſerere nobis.
Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon:
Kyrie eleiſon.

℣. Exaltate Deum omnes Angeli ejus
℟. Qui facitis voluntatem Dei in aula Sancta ejus:

Oratio ad S. Michaëlem.

DA nobis omnipotens Deus beati Archangeli Michàëlis eatenus honore proficere, ut cujus gloriam prædicamus in terris, ejus precibus adjuvemur in cœlis. Per Dominum noſtrum &c.

Oratio ad S. Gabrielem.

ABsterge, quæsumus Domine, Christiani populi caliginẽ Tui luminis illustratione, & præsta, ut B. Gabrielis Archangeli tui salutatione, & omnium Angelorum Tuorũ protectione munitus, in tua semper visitatione clarescat. Per Dominum nostrum &c.

Oratio ad S. Raphaëlem.

DEus, qui B. Raphaëlem Archãgelum, Tobiæ famulo Tuo properanti prævium direxisti, & inter hujus vitæ ac viæ varietates atq; discrimina, donasti custodẽ, da quæsumus, ut ejusdem protegamur auxiliô, quatenus & vitæ præsentis vitemur pericula, & ad gaudia pervenire valeamus cœlestia. Per Dominum nostrum, &c.

Oratio ad S. Angelum Custodem.

OMnipotens sempiterne Deus, qui me, licet indignum, ad i-

maginem Tuam creasti, & Angelum Tuum sanctum ad mei custodiam deputasti, da mihi servo Tuo, illius ductu & custodiâ malorum omnium, tàm animæ, quàm corporis pericula feliciter pertransire, & post hujus vitæ curriculum ad gaudia sempiterna facias pervenire, Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium Tuum: qui Tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs sancti Deus. &c.

HORÆ PARVÆ

Dicendæ Feriâ tertiâ in honorem S. Annæ.

AVe Maria gratiâ plena Dominus Tecum, gratia Tua sit mecum, benedicta Tu inter mulieres, & benedicta sit S. Anna Mater Tua, ex qua sine macula & peccato Tuum sanctum corpusculum processit: de quo natus est Jesus Christus, Amen.

AD MATUTINUM.

Domine labia mea, &c.

Et os meum, &c.

HYMNUS.

Ave Mater Matris DEI, per quam salvi fiunt rei. Ave prole fœcundata, ANNA Deo dedicata, Salve spōsa chara Dei, nam ut clara lux diei solis datur lumine, sic Tu facis orbem verè Tuæ prolis resplendere felici origine.

℣. O Maria Mater Dei, mox Tu succurras ei. Qui Tuam felicem Annam colit genitricem.

ORATIO.

DEus, qui Beatæ Annæ tantam gratiam donare dignatus es, ut gloriosissimam Virginem Mariam Matrem Tuam in utero suo portare mereretur. Da quæsumus, per intercessionem ipsius, ac dilectissimæ Filiæ suæ Matris Tuæ, propitiationis abundantiam: ut per illarnm intercessiones Sanctissimas, ab omni periculo corporis & animæ nos defen-

das

das, & ad gaudia cœlorum perducas. Qui cum Deo Patre & Spiritu Sancto vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedictio ad omnes horas.

Te benedicimus ô Sancta Anna, Jeſu Chriſti Avia: Tu nos benedic cum Tua prole pia.

AD PRIMAM.

Oratio.

Ave Maria, *vt ſupra.*

Deus in adjutorium &c.

HYMNUS

Ave Domina ſancta Anna Deô digniſſima, Quæ clara inter cœlorum ſplendes aurea ſydera.

Tu prece Tua inclyta, noſtra ablue crimina, & nobis depoſce gaudia, Tecum in cœli gloria.

℣. O inclyta Sancta Anna, ſuccurre nobis mettertia.

ORATIO

DEus, qui beatam Annam diu ſteri-

ſterilem, prole voluiſti glorioſa & humano generi ſalutifera fæcundari: Da quæſumus, ut omnes qui in terris Matrem & Filiam venerantur, utriuſque præſentia & defenſione, in hora mortis gaudere mereantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Am.

AD TERTIAM.

ORATIO.

Ave Maria, *vt ſupra:*
Deus in adjutorium, &c.

HYMNUS.

O Beata Mater Matris, quæ eſt mater ſui Patris, quam ab Angelo prædictam, peperiſti benedictã: cujus benedictus fructus, purget crimen noſtri luctûs. O beata Mater Anna, cælicum porrige manna, poſt mortem tuis famulis.

℣. Ora pro nobis metertia inclyta Anna, ut mundemur ab omnibus, peccatis in hac vita.

ORATIO.

DEus, qui beatam Annam Matrem Tuæ Genitricis fieri voluisti, præsta quæsumus, ut apud Te meritîs utriusque, Matris & filiæ regna cœlestia consequamur. Qui vivis & regnas, &c.

AD SEXTAM.

Ave Maria, *vt supra.*
Deus in adjutorium, &c.

HYMNUS.

GAude felix Mater Anna, per Te detur nobis manna, Consoletur nos Christus in patria, fac ut fructum videamus Tui ventris, & dicamus Ave plena gratiâ.

℣. O Beata Anna Mater, succurre nobis mettertia cum tota Salvatoris nostri Prosapia.

ORATIO.

DEus, qui Beatam Annam dilectæ Genitricis Tuæ Matrem egregiam, ad cœlestis vitæ gaudia sublevasti:

vasti: fac nos quæsumus, ejus meritîs gloriosîs, ad æternam pertingere beatitudinem, ex cujus perpetuo pro salute mundi humanam dignatus es assumere carnem. Qui cum Patre & Spiritu &c.

AD NONAM.

ORATIO.

Ave Maria, *vt supra.*
Deus in adjutorium, &c.

HYMNUS.

AVe Anna gloriosa clarior syderibûs, arbor vitæ Tu frondosa, pulchrior præ omnibus, cujus vultũ & decorem concupivit Dominus: funde preces creatori pro Tuis supplicibus.

℣. In omni tribulatione & angustia nostra: Adesto nobis pia mater sancta Anna cum prole Tua benedicta.

ORATIO.

DEus qui beatum Joachim & bea-

Beatissimam Annam, per conceptionem Beatissimæ & gloriosissimæ Virginis Mariæ lætificasti: lætifica, quæsumus, corda nostra, per intercessionem eorum benignam: & concede, ut puro corde, & casto corpore, Tibi servire valeamus, & post præsentis miseriæ terminum, gaudium æternum possideamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

AD VESPERAS,

Deus in adjutorium, &c.

HYMNUS.

O Lampas mundi, ô lumen cæli, felix Anna laude digna: & benedicta Domina, cujus proles omnibus nobis Christum genuit, qui nos à nostris sordibus unda cruoris abluit & à cunctis hostibus nos sua morte eruit. O Anna Sanctissima, pro nobis Christo supplica, ut Tuîs sanctîs precibûs, jungamur cælí civibus.

℣. O Maria Mater Dei, mox Tu suc-

curas

curras ei, qui Tuam felicem Annam coligit Genitricem.

ORATIO.

DOmine Jesu Christe Fili Dei vivi, qui non vis mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat, Te humiliter deprecamur, ut non patiaris nos miseros peccatores propter nimia peccata nostra perire, quia creatura Tua sumus, pro qua mortẽ in Cruce subijsti. Sed per preces & merita gloriosæ Virginis Mariæ Matris Tuæ, & per merita & suffragia sanctorum, Joachim, & Annæ Parentum ejus, & S, JOSEPH viri sui, nutritij Tui & S. Mariæ Jacobi, & Salome cognatarum ejus, aliorumq; consanguineorum, & affinium suorũ, & per merita & intercessionem omnium sanctorum & electorum Tuorum: da nobis spatium vivendi, & pœnitendi, ut ad meliorem vitam

per veram pœnitentiam pervenire valeamus, & in eadem uſque in finem vitæ noſtræ per auxilium gratiæ Tuæ devotè perſeveremus. Te præſtante, qui cum Patre, &c.

AD COMPLETORIUM.

Converte nos, &c.

Deus in adjutorium, &c.

HYMNUS.

ANna pia Mater ave, cujus Nomen eſt ſvave, Anna ſonat gratiam, Ave Jeſſe radix floris, quæ cæleſtis dat odoris perennis fragrantiam, Ave parens ſtella maris, quam Tu nuptam contemplaris Regis Regum Filio. Tu quæ ſola meruiſti, Parens eſſe Matris Chriſti preces noſtras ſuſcipe. Tu nos Matri atq; Proli, Regi ac Reginæ Poli, commendare non deſine, Amen.

℣. O inclyta Mater ſancta Anna, ſuccurre nobis mettertia,

ORA-

ORATIO.

DEus, qui nos Patrem & Matrem honorare præcepisti, legem quã ipse statueras, nunquam transgredi voluisti, honora hodie Avitam Tuam Annam, & Matrem Tuam dignissimam Mariam, per has exaudi preces nostras, quas in honorem felicissimæ Prosapiæ Tuæ ad Te fundimus, & præsta, ut ipsorum meritis & precibus ex iniquitatibus celeriter resurgamus,& cœlestibûs delicijs, Tuâ gratiâ justificati, perfrui mereamur. Te præstante, qui cum Patre & Spiritu.

RPO CONCLUSIONE]
præcedentium dicatur

ORATIO.

SAlve Sanctissima Mater Anna, cum tota Salvatoris nostri Prosapia, & omnium merentium Consolatrix mitissima Salve. Ad Te clamamus spem salutis quærentes. Ad Te suspi-

ſuſpiramus in hoc mundo triſtes atque flentes. Eja ergo pijſſima Domina, Tuam dilectiſſimam Filiam Dei Genitricem Mariam, in noſtris neceſſitatibus redde nobis propitiam. Et Jesum fructum ventris ipſius, juſtè pro peccatis noſtris iraſcentem, mitiga, ô clemens ô pia, ô ſanctiſſima Mater Anna! ſuccurre nobis mettertia.

℣. Ora pro nobis Beata Mater Anna.

℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

ORATIO.

Deus, qui Beatæ Annæ tantam, &c. *vt ſupra.*

LITANIÆ

DE S. ANNA.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos. Chri-

Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, Miserere.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis,
Sancta Dei Genitrix, Ora pro.
Sancta Virgo Virginum, Ora pro.
Sancta Anna, Ora pro.
Parens Dei Matris, Ora pro.
Avia Christi Jesu, Ora pro.
Regia progenies, Ora pro.
Arbor fructifera, Ora pro.
Sponsa fidelis, Ora pro.
Mulier fortis, Ora pro.
Sterilis feliciter, Ora pro.
Afflicta utiliter, Ora pro.
Fœta misericorditer, Ora pro.
Prudens dispensatrix, Ora pro.
Mulier benedicta, Ora pro.

Hera veneranda,	Ora pro.
Matrona ſingularis,	Ora pro.
Norma pudicarum,	Ora pro.
Dux viduarum,	Ora pro.
Decus conjugij,	Ora pro.
Lucerna ſanctitatis,	Ora pro.
Nobile depoſitum,	Ora pro.
Theca theſauri,	Ora pro.
Prona miſereri,	Ora pro.
Feſtina ſuccurrere,	Ora pro.
Docta compati,	Ora pro.
Aſſveta tueri,	Ora pro.
Sanguine generoſa,	Ora pro.
Mente pretioſa,	Ora pro.
Corde humilis,	Ora pro.
Moribûs gratioſa,	Ora pro.
Senſu gravis,	Ora pro.
Vultu clemens,	Ora pro.
Affatu jucunda,	Ora pro.
Actu operoſa,	Ora pro.
Mater Dominæ,	Ora pro.
Mater deſideratæ,	Ora pro.
Mater immaculatæ,	Ora pro.

Honor Patriarchis. Ora pro.
Amica Prophetis. Ora pro.
Devota Apoſtolis. Ora pro.
Addicta Martyribus, Ora pro.
Pia Confeſſoribus, Ora pro.
Mater Virginibus, Ora pro.
Matrona fidelibus, Ora pro.
Mundi auxiliatrix. Ora pro.
Propitius eſto, Parce nobis Domine.
Propitius eſto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab ira Tua, Libera nos Domine.
A damnatione perpetua. Libera.
Per ſanctam orationem Avitæ Tuæ. Libera nos Domine.
Per pretioſiſſima merita, & orationes Matris Tuæ, Libera nos Domine.
Per ſanctam Conceptionem, Nativitatem, Paſſionem & mortem Tuam, Libera nos Domine.
Per lætiſſimam Reſurrectionem & Aſcenſionem Tuam, Libera.
Peccatores, Te rogamus audi nos.

Ut nobis parcas, Te rogamus.
Ut nobis indulgeas, Te rogamus.
Ut ab omni animæ & corporis periculo nos cuſtodire digneris, Te rogamus audi nos
Ut hanc ſanctæ Annæ congregationem fovere & cuſtodire digneris, Te rogamus audi nos.
Ut congregationes ac Societates cæteras, benedicere & augere digneris, Te rogamus audi nos.
Ut nobis in hora mortis miſereri digneris. Te rogamus audi nos.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi Exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
℣. Ora pro nobis &c.

℟. Ut digni efficiamur &c.

Oratio.

Deus qui Beatæ Annæ tantam gratiam, &c. *vt supra.*

OFFICIVM S. FRANCISCI

AD MATUTINUM.

℣. Amor Seraphicus incendat ſenſus & præcordia noſtra. ℟. Amen.

Domine labia mea, &c.

Deus in adjutorium, &c.

HYMNUS.

VItiorum putredine mundo ſordeſcente, Peccatorumquè numero inveteraſcente, Et in DEI amore omnino frigeſcente: Venit qui purget, renovet, utraquè repente.

Antiph. O Patriarcha pauperum, nos pauperes fac ſpiritu, conſortes redde ſupêrum, ereptos ab interritu.

℣. Ora pro nobis B. Pater Franciſce. ℟. Ut

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

DEus qui Ecclesiam Tuam B. Francisci meritis fætu novæ prolis amplificas; tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere, & cœlestium donorum semper participatione gaudere. Per Dominum nostrum, &c.

AD PRIMAM.

℣. Amor Seraphicus, &c.

Deus in adjutorium, &c.

HYMNUS.

HIc est Franciscus zelô qui nimiô fervidus, animarumque vitæ ac salutis cupidus. Pœnitentiam indicit, Dæmon ne perfidus eas deglutiat, versipelis, & avidus.

Ant. ℣. & Oratio, *vt supra.*

AD TERTIAM.

℣. Amor Seraphicus, &c.

Deus in adjutorium, &c.

HYMNUS.

VTque faciliùs poſſit illud adimplere, Minorum plantavit vineam, vitam quam qui verè Apoſtolicam ſecuti cauſâ fuêre. Redimendi homines, heu? perdidêre.

Antiph. ℣. & Oratio, *vt ſupra.*

AD SEXTAM.

Amor Seraphicus, &c.
Deus in adjutorium, &c.

HYMNUS.

HUnc ſibi in vita præ alijs ſimilavit Dominus Jeſus, & ſignaculis conſignavit Paſſionis ſuæ, idquè palam declaravit, Quanta eum hic luce in cœloquè ditavit.

Antiph. Verſus, & Oratio, *vt ſupra.*

AD NONAM.

℣. Amor Seraphicus, &c.
Deus in adjutorium, &c.

HYMNUS.

HOra deniq; jam inſtante ſui trãſitus, Suos hortatur fratres ad aman-

amandum penitus Paupertatem: post hæc felix ille spiritus spirans ad cælum volavit: O quàm lætus exitus.

Antiph. Versus, & Oratio, *vt supra.*

AD VESPERAS.

Amor Seraphicus, &c.

Deus in adjutorium, &c:

HYMNUS.

STatim post obitum, cœpit signis clarescere. Et corpus emortuum videbatur vivere: Tum Redemptoris vulnera licebat cernere, Quæ Deus, servo suo dignatus est figere.

Antiph. ℣. & Oratio, *vt supra.*

AD COMPLETORIUM.

Amor Seraphicus, &c.

Converte nos, &c.

Deus in adjutorium, &c.

HYMNUS.

SAcrum condunt funus cum Hymnis & luminibus. Sicque reboat polus & solum laudibus. Jam Tu Sancte Pater concivis cœli civibus,

Ora Te nos proſequi Tuis in virtutibus.

Antiph. Verſ. & Oratio, *vt ſupra.*

Commendatio.

Has horas Canonicas pia ratione. Licet parva Crucis amator attentione, Tibi dixi, ut me juves interceſſione, ac præſtes auxilium mortis in agone, Amen.

Oratio ad Sanctum Franciſcum.

SAncte Franciſce, Pater amande ac dilectiſſime, rogo Te per ſacra Stigmata Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ádjuves me regere quinque ſenſus corporis mei ad beneplacitum & velle Dei omnipotentis perfice in me regularem diſciplinam, quam Tu incepiſti. Et obtine mihi à Domino Deo contritionem, devotionem, fidem, ſpem charitatem, humilitatem, patientiam, caſtitatem animæ & corporis, & ſanctam obſervantiam in verbis & factis, & omnibus his ve-

ram

ram perſeverantiam, ut conſummato vitæ præſentis curſu, ad Te pervenire merear, ubi Tu gaudes de percepto præmio laborum tuorum: & ut Tibi ibidem congaudere merear, ubi omnis triſtitia exterminabitur, & omnis dolor effugiet, & ſẽpiterna manebit lætitia: quam mihi Jeſus Chriſtus Mariæ Virginis Filius, per interceſſionem tuam ſancte Pater, concedat. Amen.

Oratio ad S. Bernardinum.

SAncte & glorioſe Bernardine, Cõfeſſor Domini noſtri Jeſu Chriſti, & prædicator nominis ejus ferventiſſime, rogo te per viſcera miſericordiæ ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubvenias mihi famulo tuo N. in omnibus anguſtijs & neceſſitatibus meis, ad te nunc ſuſpiro, & cor meum erigo, Tequè mihi in Patronum & advocatum fideliſſimum eligo, Tuæquè protectioni ani-

mam meam & corpus committo, & ſemper commendo. Tu clementiſſime Pater eſto mihi in tribulatione conſolator, in omni neceſſitate adjutor, in omniq́; tentatione refugiũ: ſuccurre mihi Pater ſancte, quatenus malos ac pravos mores & omnia peccata poſſim, velim, ſtudeamq́; vitare ad vitã meam ſine aliorũ ſcandalo, & omni infamia ducere, & in laude Dei trãſigere, & ita ad cœleſtem patriam quàm feliciter pervenire, & faciem Jeſu Chriſti ſpecioſiſſimam jugiter cernere. Qui eſt Benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Antiphona ad Beatum Patrem Simonem de Lipnica.

O Nova lux Poloniæ:
Clarum ſidus Cracoviæ:
Fervens verna Tu Mariæ,
Summæ Matris clementiæ
Florens Roſa munditiæ:
Felix prole Simon pie,

Francisci observantiæ!
Fer Beate præsidium,
Tandem cœli nobilium,
Fac consortes nos civium.

℣. Precare Deum Beate pro nobis Simon.

℟. Ne devincat nos callidus dæmon.

ORATIO.

DA quæsumus, omnipotens & misericors Deus, ut Beati Simonis Confessoris tui præclara nobis merita proficiant, & tuâ gratiâ quam precamur, nos dignos efficiant, in qua firmati, tuæ gloriæ simus annumerati. Per Christũ Dominũ, &c.

Oratio ad eundem B. Simonem de Lipnica.

FElix Beate Simon, quia jam transîsti hujus mortalitatis pelagus, & pervenire meruisti ad portũ perpetuæ quietis, securitatis, & pacis securus & tranquillus, semperquè

quę festivus atquè gaudens es. Obsecro TE per TUAM charitatem, qui securus es de TE, solicitus esto de nobis, securus de TUA immarcescibili gloria, solicitus esto de nostra multiplici miseria, per ipsum TE rogo qui TE elegit, qui TE talem fecit, de cujus pulchritudine jam satiaris, de cujus immortalitate jam immortalis factus es, & de cujus beatissima visione semper gaudes, esto jugiter memor nostri, subveni nobis miserrimis, qui adhuc in sacro hujus vitæ circumstantibus agitamur procellis. TU porta pulcherrima, quæ in magnam surrexisti altitudinem adjuva nos vile pavimentum longè inferius. Da manum, ô Minorum Decus, & erige jacentes super pedes, ut convalescentes de infirmitate, fortes efficiamur in bello: intercede & ora constanter atquè indesinenter, pro nobis miseris peccatoribus ut per

Tuas orationes tuo ſancto conſortio conjungamur. Sumus namque valdè fragiles, & nullius virtutis homunciones, animalia ventris, & carnis mancipia, in quibus vix aliquod virtutis veſtigium apparet. Et tamẽ ſub Chriſti Confeſſione poſiti, lignô crucis ferimur navigantes per hoc mare magnum & ſpatioſum, ubi ſunt reptilia, quorum non eſt numerus, ubi ſunt animalia puſilla, cum magnis, ubi eſt draco ſæviſſimus ſemper paratus ad devorandum, ubi ſunt loca Scyllæ, & Charybdis, & alia innumerabilia, *in* quibus naufragantur incauti, & in fide dubij. Ora Dominum, ora pijſſime, ora Beate Simon, ut tuis precibus meritiſq; adjuti, ſalva nave & integris mercibus, pervenire mereamur ad portam perpetuæ ſalutis & continuæ quietis. Am:

Hoſij Cardinalis Precatio.

CAro Tua ſumus, ô Judex vivorum

vorum & mortuorum Sanguis Tuus sumus : membra Tua sumus qualiacumq; tandem; Carnem Tuam igitur ne despexeris : Carnem Tuam odio ne habueris: Carnem Tuam ne condemnaveris. Nulla est alia spes, nisi quia Tua caro, nostra est; & quòd nos caro Tua sumus. Non gloriamur de nostris meritis: in hoc solo gloriamur, & confidimus, quòd membra simus illius corporis Tui, quod pro nobis passum, crucifixum, mortuum, abundè pro peccatis totius mundi satisfecit. Quamobrem, si merita à nobis quæris, ecce proferimus Tibi meritum passionis Tuæ, meritum carnis Tuæ: meritum mortis Tuæ. Hæc sunt merita nostra, quæ Tu clementissime Domine, nobis pro immensa benignitate Tua communicare dignatus es. Secundùm hæc merita, à te judicari postulamus. hîs meritîs freti, coram tri-

bunali

bunali Tuo nos intrepidi ſiſtimus: noſtra ſunt, quia noſtri ſunt capitis: noſtri ſunt corporis, cui per lavacrũ regenerationis, in virtute ſanguinis Tui incorporati ſumus. Hæc merita ponimus intra nos & judicium Tuum: Aliter judicio, Tecum contendere recuſamus. Proteſtamur & rogamus, ne intres in judicium cum ſervis Tuis: quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens; ſed fac nobiſcum ſecundùm magnam miſericordiam tuam, cui miſereri ac parcere proprium eſt, Qui vivis & regnas cum &c.

PRÆPARATIO
AD MISSAM,

Secundum Missale Romanum.

GREGORIUS XIII. *Pont: Max: cuilibet Sacerdoti infrascripta verba dicenti, concessit quinquaginta annorum indulgentiam.*

EGo volo celebrare Missam, & conficere corpus & sanguinẽ Domini nostri JESU Christi, juxta ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad laudem omnipotentis Dei, totius curiæ triumphantis, & ad utilitatem meam totiusquè Curiæ militantis, pro omnibus qui se commendaverunt orationibus meis in genere & specie, & pro felici statu S. Romanæ Ecclesiæ, Amen.

GAudium cum pace emendationem vitæ, spatium veræ pœniten-

nitentiæ gratiam & consolationem Sancti Spiritûs, perseverantiam in bonis operibus, tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus, A.

Oratio ante vel post Missam.

PAter cœlestis, clementissime Domine, Pater misericordiarum, suscipe hodie per manus servi Tui Sacerdotis, licet indigni, sacrosanctum Sacrificium, verum corpus & sanguinem unigeniti Filij Tui Domini nostri Jesu Christi in satisfactionem & remissionem omnium peccatorum meorum, in salutem & fortitudinem animæ meæ, & totius domûs meæ, & omnium illorum, quibus obligatione aliqua teneor, & omnium Dominorum, Prælatorum, Prædicatorum, Sacerdotum, & Religiosorum, Catholicæ fidei, ut eis gratiam Spiritûs sancti impertiri digneris, ad salutem animæ, & regimen totius populi Christiani: & omnium pecca-

peccatorum hujus mundi, ut eos cõvertas & ducas ad vitam salutis: in consolationem omnium tribulatorũ; ut eis adjutorium & veram patientiam tribuas: in refrigerium & liberationem omnium animarum existentium in purgatorio, & maximè illarum quæ auxilium à me expectant: & ad illuminationem & conversionem omnium gentium infidelium & Hæreticorum, & Schismaticorum, ut cognoscant & ament TE, summam veritatem, Patrem omnipotentem: qui cum Filio & Spiritu Sancto es laudabilis Deus, in sæcula sæculorũ. Amen.

ORATIO.

CORdibus nostris quæsumus Domine, gratiæ TUæ lumen infunde, ut quæ agenda sunt, Te inspirante videamus, & quæ TIBI sunt placita, TE adjuvante adimpleamus.

ACCESSUS AD MISSAM, *pro opportunitate Sacerdotis faciendus.*

Antiph. Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum: neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

Pſalmus 83.

QVàm dilecta tabernacula Tua Domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum & caro mea: exultaverunt in Deum vivum.

Etenim paſſer invenit ſibi domũ: & turtur nidum ſibi ubi ponat pullos ſuos.

Altaria Tua Domine virtutum: Rex meus & Deus meus.

Beati qui habitant in domo Tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt TE.

Beatus vir cujus eſt auxilium abs TE: aſcenſiones in corde ſuo diſpo-

disposuit in valle lachrimarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutē: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribûs percipe Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atrijs Tuis: super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei: magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutū beatus homo qui sperant in te. Gloria Patri, &c.

Psalmus 84.

BEnedixisti Domine terrã Tuam: avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos Deus salutaris noster: & averte iram Tuam à nobis.

Numquid in æternum irasceris nobis: aut extendes iram tuam à generatione in generationem?

Deus tu conversus vivificabis nos: & plebs Tua lætabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam Tuam: & salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos: & in eos qui convertuntur ad cor.

Verumtamen propè timentes e-

um

um ſalutare ipſius: ut inhabitet gloria in terra noſtra.

Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi: juſtitia & pax oſculatæ ſunt.

Veritas de terra orta eſt: & juſtitia de cœlo proſpexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Juſtitia ante eum ambulabit: & ponet in via greſſus ſuos.

Gloria Patri, &c.

Pſalmus 85.

INclina Domine aurem tuam & exaudi me: quoniam inops & pauper ſum ego.

Cuſtodi animam meam quoniam ſanctus ſum: ſalvum fac ſervum Tuum, Deus meus ſperantem in te.

Miſerere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die: lætifica animam ſervi tui, quoniam ad te animam meam levavi.

Quoniam tu Domine ſvavis & mitis: & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribûs percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ed te: quía exaudiſti me.

Non eſt ſimilis tui in dijs Domine; & non eſt ſecundùm opera tua.

Omnes gentes quaſcunquè feciſti, venient & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu & faciens mirabilia. tu es Deus ſolus.

Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia miſericordia tua magna, eſt ſuper me: & eruiſti animam meam ex inferno inferiori. De-

Deus, iniqui insurrexerunt super me: & synagoga potentium quæsiêrunt animam meam: & non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine Deus miserator & misericors: patiens, & multæ misericordiæ, & verax.

Respice in me & misere mei: da imperium tuum puero tuo, & salvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me & confundantur: quoniam Tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me.

Gloria Patri, &c.

Psalmus 115.

CRedidi propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax

Quid retribuam Domino: pro omnibus quæ retribuit mihi?

Cali-

Calicem salutaris accipiam: & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam corã omni populo ejus: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine quia ego servus Tuus: ego servus Tuus & filius ancillæ Tuæ.

Dirupisti vincula mea Tibi sacrificabo hostiam laudis: & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in cõspectu omnis populi ejus: in atrijs domûs Domini in medio Tui Hierusalem

Gloria Patri, &c.

Psalmus 129.

DE profundis clamavi ad Te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures Tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit.

Quia apud Te propitiatio eſt: & propter legem Tuam ſuſtinui Te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus: ſperavit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina uſquè ad noctem: ſperet Iſrael in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſrael: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, &c.

Antiph. Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra vel parentum noſtrorum nequè vindictam ſumas de peccatis noſtris.

Kyrie eleiſon.

Chriſte eleiſon.

Kyrie eleiſon.

Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Ego

℣. Ego dixi Domine miserere mei.

℟. Sana animam meam quia peccavi Tibi.

℣. Cōvertere Domine aliquantulū.

℟. Et deprecare super servos Tuos

℣. Fiat misericordia Tua Domine super nos

℟. Quemadmodum speravimus in Te.

℣. Sacerdotes Tui induantur justitiam.

℟. Et sancti Tui exultent.

℣. Ab occultis meis munda me. Domine.

℟. Et ab alienis parce servo Tuo

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad Te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu Tuo.

Oremus.

AUres Tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, & gratiâ Sancti Spiritûs illumina cor nostrum, ut Tuis mysterijs dignè ministrare, Tequè æterna charitate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet secretum, purifica per infusionem Sancti Spiritûs cogitationes cordis nostri: ut Te perfectè diligere, & dignè laudare mereamur,

Ure igne Sancti Spiritûs renes nostros, & cor nostrum Domine: ut Tibi casto corpore serviamus, & mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quæsumus Domine, Paraclitus, qui à Te procedit, illuminet, & inducat in omnem, sicut Tuus promisit Filius, veritatem.

Adsit nobis, quæsumus Domine, virtus Spiritûs Sancti, quæ & corda

nostra

nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adversis.

Deus qui corda fidelium Sancti Spiritûs illustratione docuisti: da nobis in eodẽ Spiritu recta sapere, & de ejus semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras quæsumus Domine, visitando purifica: ut veniens Dominus noster Jesus Christus Filius Tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui Tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Oratio S. Ambrosij Episcopi.
Die Dominica.

SUmme Sacerdos & vere Pontifex Jesu Christe, qui Te obtulisti Deo Patri hostiam puram, & immaculatam in ara crucis pro nobis miseris peccatoribus: & qui dedisti nobis carnem Tuam ad manducandũ, & sanguinem Tuum ad bibendum,

& poſuiſti myſterium iſtud in virtute Spiritûs ſancti Tui, dicens: Hæc quotieſcunquè feceritis, in mei memoriam facietis. Rogo per eundem ſanguinem Tuum, magnum ſalutis noſtræ pretium: rogo per hanc miram & ineffabilem charitatem, quâ nos miſeros, & indignos ſic amare dignatus es, ut lavares nos à peccatis noſtris in ſanguine Tuo. Doce me ſervum Tuum indignum, quem inter cætera dona Tua etiam ad officium Sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, ſed ſola dignatione miſericordiæ Tuæ: doce me, quæſo, per Spiritum Sanctum Tuum, tantum tractare myſterium eâ reverentiâ,& honore, ea devotione & timore, quibûs oportet & decet. Fac me per gratiam Tuam ſemper illud de tanto myſterio credere & intelligere, ſentire & firmiter tenere, dicere & cogitare, quod Tibi placet

cet, & expedit animæ meæ. Intret Spiritus Tuus bonus in cor meum, qui ſonet ibi ſine ſono, & ſine ſtrepitu verborum loquatur omnem veritatem. Profunda quippe ſunt nimis, & ſacro tecta velamine. Propter magnam clementiam Tuam cōcede mihi Miſſarum ſolemnia mundo corde, & pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis & nefandis, vanis & noxijs cogitationibus. Muni me Beatorum Angelorum piâ & fidâ cuſtodiâ, ac tutelâ fortiſſimâ, ut hoſtes omnium bonorum confuſi diſcedant. Per virtutē tanti myſterij, & per manum ſancti Angeli Tui repelle à me, & à cunctis ſervis Tuis, duriſſimum ſpiritum ſuperbiæ, & cenodoxiæ, invidiæ & blaſphemiæ, fornicationis & immunditiæ, dubietatis & diffidentiæ. Confundantur, qui nos perſequuntur: pereant illi, qui nos perdere feſtinant.

Feriâ Secundâ.

REx virginum, & amator castitatis & integritatis, cœlesti rore benedictionis Tuæ extingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis: ut maneat in me tenor castitatis corporis & animæ. Mortifica in membris meis carnis stimulos, omnesquè libidinosas commotiones, & da mihi veram & perpetuam castitatem cum cæteris donis Tuis, quæ Tibi placēt in veritate: ut sacrificium laudis casto, corpore & mundo corde valeam Tibi offerre. Quanta enim cordis contritione, & lacrymarum fonte, quantâ reverentiâ & tremore, quanta corporis castitate, & animæ puritate istud divinum & cœleste sacrificium est celebrandum, ubi caro Tua in veritate sumitur, ubi sanguis Tuus in veritate bibitur, ubi ima summis, terrena divinis junguntur, ubi adest sanctorum Angelorum præsentia.

tia, ubi Tu es sacrificium & Sacerdos mirabiliter & ineffabiliter constitutus?

Feriâ Tertiâ.

QVis dignè hoc celebrare poterit, nisi Tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum? Scio Domine, & verè scio, & idipsum pietati Tuæ confiteor, quia non sum dignus accedere ad tantum mysterium propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas. Sed scio, & veraciter ex toto corde meo credo, & ore confiteor, quia Tu potes me facere dignum, qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine, & de peccatoribus justos, & sanctos. Per hanc omnipotētiam Tuam Te rogo Deus meus, ut concedas mihi peccatori hoc sacrificium celebrare cum timore & tremore, cum cordis puritate, & lacrymarum fonte, cum lætitia spirituali,

& cœlesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatissimæ præsentiæ Tuæ, & excubias Sanctorum Angelorum Tuorum in circuitu meo.

Feriâ Quartâ.

EGo enim Domine, memor venerandæ passionis Tuæ accedo ad altare Tuum, licet peccator, ut offeram Tibi sacrificium, quod Tu instituisti, & offeri præcepisti in cõmemorationem Tui, pro salute nostra. Suscipe illud quæso, summe Deus, pro Ecclesia sancta Tua, & pro populo quem acquisisti sanguine Tuo. Et quoniam me peccatorem inter Te & eundem populum Tuum medium esse voluisti, licet in me aliquod boni operis testimonium non agnoscas, officium saltem dispensationis creditæ non recuses, nec per me indignum, eorum salutis pereat pretium, pro quibus victima salutaris dignatus es esse redemptio. Profero

fero etiam Domine, (si digneris propitius intueri) tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitus, miserias orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum.

Feriâ Quintâ.

TU enim misereris omnium Domine: & nihil odisti eorum, quæ fecisti, Memorare quæ sit nostra substantia: quia Tu Pater noster es, quia Tu Deus noster es; ne irascaris satis, nequè multitudinem viscerum Tuorum super nos contineas. Non enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem Tuam, sed in miserationibus Tuis multis. Aufer à nobis iniquitates nostras: & ignem sancti Spiritûs in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra: & da nobis cor

carneum, quod Te amet, Te diligat, Te delectetur, Te sequatur, Te perfruatur. Oramus Domine clementiam Tuam, ut sereno vultu familiam Tuam sacri Tui nominis officia præstolantem, aspicere digneris: & ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, Tu nobis preces suggere, quas ipse propitius audire, & exaudire delecteris.

Feriâ Sextâ.

ROgamus etiam Te, Domine sancte Pater, & pro spiritibus fidelium defunctorum: ut sit illis salus, sanitas, gaudium, & refrigerium, hoc magnum pietatis Sacramentum. Domine Deus meus, sit illis hodie magnum & plenum convivium de Te pane vivo, qui de cœlo descendisti, & das vitam mundo, de Tua carne sancta & benedicta, Agni videlicet immaculati, qui tollis peccata mundi, quæ de sancto & glorioso Beatæ Virginis Mariæ utero est assum-

sumpta, & de Spiritu Sancto concepta; ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex Tuo sacratissimo latere emanavit: ut exinde refecti & satiati, refrigerati & consolati exultent in laude & gloria Tua. Peto clementiam Tuam, Domine, ut descendat super panem Tibi sacrificandum plenitudo Tuæ benedictionis, & sanctificatio Tuæ divinitatis. Descendat etiam Domine illa sancti Spiritûs Tui invisibilis incomprehensibilisquè majestas, sicut quondam in Patrum hostias descendebat, qui & oblationes nostras, Corpus & Sanguinem Tuum efficiat, & me indignum sacerdotem doceat tantum tractare mysterium cum cordis puritate, & lacrymarum devotione, cum reverentia & tremore, ita ut placidè ac benignè suscipias sacrificium de manibus meis ad salutem omnium tam vivorum quàm defunctorum.

Sabbathô.

ROgo etiam Te Domine, per ipſum ſacroſanctum myſterium Corporis & Sanguinis Tui, quô quotidie in Eccleſia Tua paſcimur, & potamur & ſanctificamur, atquè unius ſummæ divinitatis participes efficimur, da mihi virtutes Tuas ſanctas, quibûs repletus, bonâ conſcientiâ ad altare Tuum accedam, ita ut hæc cœleſtia ſacramenta efficiantur mihi ſalus & vita. Tu enim dixiſti ore Tuo ſancto & benedicto: Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Panis dulciſſime, ſana palatum cordis mei; ut ſentiam ſvavitatem amoris Tui. Sana illud ab omni languore, ut nullam præter Te ſentiam dulcedinem. Panis candidiſſime, habens omne delectamen-

tum,

tum, & omnem saporem, qui nos semper reficis, & numquam in Te deficis, comedat Te cor meum, & dulcedine saporis Tui repleantur viscera animæ meæ. Manducat Te Angelus ore pleno: manducet Te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via, tali recreatus viatico. Panis sancte, panis vive, panis munde, qui descendisti de cœlo, & das vitam mundo, veni in cor meum, & munda me ab omni inquinamento carnis & spiritûs. Intra in animam meam, sana & munda me interiùs & exteriùs, Esto tutamē, & continua salus animæ & corporis mei. Repelle à me insidiantes mihi hostes: recedant procul à præsentia potentiæ Tuæ, ut foris & intus per Te munitus, recto tramite ad Tuum regnum perveniam, ubi non in mysterijs, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem Te videbimus,

cùm

cùm tradideris regnum Deo & Patri, & erit Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de Te ſatiabis ſatietate mirifica, ita ut nec eſuriam, nec ſitiam in æternum. Qui cum eodem Deo Patre, & Spiritu Sancto vivis & regnas per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio S. Ioannis Chryſoſtomi ante ſacrum.

DOmine Deus noſter emitte manum Tuam de ſancto habitaculo Tuo & corrobora me ad propoſitum myſterium Tuum, ut citra condemnationem aſſiſtam tremendo Altari, & immaculatum Sacrificium peragam & nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio ante Miſſam.

DEus, qui de indignis dignos facis, & de peccatoribus juſtos, & de immundis mundos: munda cor meum, & corpus meum ab omni conta-

contagio, & sorde peccati, & fac me dignum atq; strenuum sanctis Altaribus Tuis ministrum: concede propitius, ut in hoc Altari, ad quod indignus accedo, hostias acceptabiles, atquè placabiles offeram pietati *Tuæ*, pro peccatis & offensionibus meis, innumerisq; & quotidianis excessibus meis, atquè cunctorum simul Christianorum culpis abluendis. Et per eum sit Tibi votum meum acceptabile, qui se Tibi Deo Patri pro nobis obtulit sacrificium, Qui vivit Tecum & regnat in unitate Spiritûs &c.

Ad B. Virginem ante Missam.

Oratio.

O Mater pietatis, ô inventrix gratiæ, genitrix salutis æternæ Beatissima Virgo Maria, ego miser, & indignus peccator, ad Te confugio toto corde & affectu, & precor Tuam dulcissimam pietatem, ut sicut dulcissimo Filio Tuo in cruce pen-

denti

denti aſtitiſti: ita & mihi miſero peccatori, & ſacerdotibus omnibus, hîc & in tota ſancta Eccleſia offerentibus, hodie clementer aſſiſtere digneris, ut tua gratiâ adjuti, dignam & acceptabilem hoſtiam, in conſpectu ſummæ & individuæ trinitatis offerre valeamus, Amen.

Oratio ad Sanctum, cujus eo die feſtum celebratur.

O Sãcte N. ecce ego miſer peccator de tuis meritis confiſus, offerro nunc Sacratiſſimum Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, pro Dei honore & gloria: & precor te humiliter ac devotè, ut pro me hodie intercedere digneris, quatenus tantum ſacrificium dignè, ac meritoriè offerre valeam, eumq; tecum, & cum omnibus electis ejus æternaliter laudare, & cum eo regnare valeam, Am.

Ad omnes Angelos & Sanctos.

ANgeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, virtutes cœlorum, Cherubim, & Seraphim: Omnes sancti & Sanctæ Dei, & præsertim Patroni mei, intercedere dignemini pro me, ut hoc Sacrificium Deo omnipotenti, dignè valeam offerre, ad laudem & gloriam nominis sui, & ad utilitatem meam, totiusquè Ecclesiæ suæ sanctæ, Amen.

Actus oblationis, vel puræ intentionis.

PRæterea Domine mi, in unione illius ardentissimi amoris, & purissimæ intentionis, cum qua teipsum nobis dedisti in cibum in ultima Cœna, atq; in ara crucis obtulisti Teipsum in Sacrificium: offerro tibi Domine hoc meum sacrificium; & cum eo me ipsum totum, in sempiternũ tuum honorem & gloriam. Atq; in locum exiguæ meæ præparationis,

& modicæ devotionis, offero illam profundam humilitatem, charitatem & puritatem cum qua Tua sacratissima Mater, ac cæteri Tui devoti servi, ad hoc divinū accesserunt Sacramētum, & cum qua Tui Sancti Apostoli, & reliqui Tui sancti Sacerdotes à principio Tuæ institutionis, usquè in præsentem diem Tibi obtulerunt, & de præsenti Tibi offert universalis Ecclesia Catholica. Amen.

Alia Oratio devotissima ante sacrum recitanda. Ex Thoma de Kempis.

DOmine Jesu Christe, in simplicitate cordis mei offero me ipsum Tibi hodie in servum sempiternum, in obsequium, & sacrificium laudis perpetuæ. Suscipe me cum hac sancta oblatione Tui pretiosi Corporis & Sanguinis, quam Tibi hodie in præsentia Angelorum invisibiliter assistentium offero, ut sit pro me,

me, & pro cuncto populo Tuo in salutem. Domine offero Tibi omnia peccata, & delicta mea, quæ commisi coram Te, & Sanctis Angelis Tuis, à die, quô primùm peccare potui, usq; ad diem hanc super placabili Altari Tuo; ut Tu omnia pariter incendas, & comburas igne charitatis Tuæ,& deleas universas maculas peccatorum meorum, & conscientiam meam ab omni delicto emundes, & restituas mihi gratiam Tuam, quam peccando amisi. Deprecor Te, exaudi me propitius, Deus meus: omnia peccata mea mihi maximè displicēt: nolo ea unquam amplius perpetrare : sed pro eis doleo, & dolebo quã diu vixero, paratus pœnitentiam agere, & pro eis posse satis facere. Offero etiam Tibi omnia bona opera mea, quamvis valde pauca, & imperfecta ut Tu ea emendes, atquè sanctifices, & ea gratè habeas. & ac-

cepta

cepta tibi facias. Offero quoq; tibi omnia desideria devotorum, necessitates parentum, fratrum, propinquorum, amicorum, omniumq; charorum meorum, & eorum qui mihi, vel alijs propter amorem tuum benè fecerunt, & qui Orationes, & Missas, pro se, suisq; omnibus dici à me desideraverunt, & petierunt, sive in carne adhuc vivant, sive jam sæculo defuncti sint; ut omnes sibi auxilium gratiæ tuæ, opem consolationis, protectionem à periculis, liberationem à pœnis advenire sentiant, & ut ab omnibus malis erepti, gratias tibi magnificas læti persolvant. Miserere, Domine Jesu Christe, misericordiam poscentibus, da gratiam indigentibus, & fac nos tales existere, ut simus digni gratiâ tuâ perfrui & ad vitam proficiamus æternam. Amen.

Responsorium,

PAter, peccavi in cœlum, & coram Te, & præ multitudine peccatorum meorum, jam non sum dignus vocari filius Tuus, imo nec servus, nec oculos ad cœlum levare. Fac me sicut unum ex mercenarijs Tuis. ℣. Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo? Surgam & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: fac me sicut unum ex mercenarijs Tuis. ℣. Gloria Patri &c. Fac me sicut &c.

Kyrie eleison Christe eleison, Kyrie eleison.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Ab ocultis meis munde mē Domine.

℟. Et ab alienis parce servo Tuo.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et

℟. Et clamor meus ad Te veniat.

Oremus.

ADesto mihi verum & sempiternum lumen, omnipotens Pater, Fili, & Spiritus Sancte, Sancta & gloriosissima Trinitas: unus Deus, Creator omnium. Adesto Beatissima Dei genitrix Virgo Maria, & omnes Sancti electi: & amici Dei, totaquè cœlestis curia, Adestote, advertite, & docete me, ad dignè immolandum & sacrificandum divinum sacrificium corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi, ad Dei laudem, gloriam & honorem, totiusquè curiæ cœlestis exultationem, pro salute animæ meæ, & omnium, parentum, amicorum & benefactorum meorum: pro pace, concordia, & salute totius populi Christiani pro consolatione, protectione, ac defensione, & provisione, in spiritualibus, & temporalibus hujus sacri loci, atquè pro dire-

directione omnium cogitationum, locutionum, operationum, ac negotiorum nostrorum, ad Dei laudem, gloriam, & honorem. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Am.

Oratio S. Martini Papæ
ante Missam,

O Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, miserere mihi misero peccatori, & omnibus servis tuis, qui tibi hodie sacratissimum ac pretiosissimum salutis nostræ pretium, pretiosi videlicet corporis & sanguinis offerunt Sacramentum. Et da nobis gratiam, virtutem & fortitudinem immolandi, offerendi, ac sumendi, hoc Sacrosanctum corpus & sanguinem tuum in fide recta, spe firma, & charitate perfecta, cum augmento humilitatis & patientiæ, obedientiæ, castitatis, ac totius sanctitatis. In honorem & laudem sanctæ et individuæ Trinitatis, Beatissimæ

Virginis Mariæ, in gaudium Sanctorum Archangelorum et Angelorum, Patriarcharum, Martyrum, Confessorum, atq; Virginum, et omnium Sanctorum, atq; electorum tuorum, jam in æterna Patria lætantium, et præsta, ut ſicut illos jam pleno et ſereno ſplendore vultus tui ſine defectu ſatias; ſic nos degentes in hac miſeria, tuâ gratiâ reficias: et eos, qui in pœnis ſunt purgatorij, ac ibi æſtuant, tuâ miſericordiâ eripias, et ſicut es illis in gaudium; ſic nobis hujus vitalis Sacramenti perceptio ſit in ſubſidium, et his qui in pœnis ſunt in refrigerium. Miſerere igitur clementiſſime Domine Jeſu Chriſte, per hujus vivifici ſacramenti virtutem, ſanctæ et univerſali Ecclesiæ: et omnia mala, ſcilicet hæreſes, diſcordias, et diſſenſiones ab ea repelle, errantesque in ea corrige: incredulos ad fidem converte: ſchiſmaticos

ſmaticos ad unitatem ſanctæ Eccleſiæ fac redire : et ipſis lumen Tuæ veritatis oſtende : peccatoribus veram pœnitentiam, largire : juſtos in bono propoſito fac perſeverare : populo Chriſtiano miſerere : Clerum defende, Regibus et Principibus Chriſtianis pacem et veram concordiam concede. Religioſos ac Religioſas, in ſervitio Tuo ſancto ac propoſito conſervare dignare : omneſq; laborantes conforta : triſtes conſolare : infirmis ſanitatem corporis & animæ reſtitue. Pauperibus ac egentibus omnia corporis & animæ neceſſaria tribue : Peregrinos & exulantes cum ſalute ad propria fac remeare : in periculis aquarum poſitos ad portum ſuæ voluntatis fac pertingere : prægnantibus portum gaudij miſericorditer largire : in vinculis & carceribus detentos abſolve : omnibus, cum quibus peccavimus,

vel quos ad peccandum induximus, & nobis, misericors Pater indulge. Omnibus quos conturbavimus, læsimus, scandalizavimus, vel defraudavimus, Tu gratiose creator persolve. Omnibus Parentibus, Fratribus, Sororibus, amicis & inimicis confratribus, & consanguineis hospitibus, & familiaribus, benefactoribus, & quorum utimur vel usi sumus eleëmosynis, omnibusq; pro nobis Deum exorantibus, vel orationibus nostris se commendantibus, omnia bona tribue, & eos ab omni malo defende, in Tuoque eos servitio fac perseverare usque in finem: & post hoc hujus cursum miseriæ, ad Te, qui es vera patria, merces, præmium æternum, & gloria, da pervenire. In tribulationibus, persecutionibus, & tentationibus ad Te clamantes auxiliare. In agone positis, de hoc quoque sæculo exituris suc-

curre

curre; & animas eorum à faucibus rugientis inimici eripe. Inimicis nostris & nobis, veram charitatem largire. Omnibusque Tuis fidelibus per hujus Sacramenti virtutem præsta subsidium, auxilium & consolamen, adhuc in carne, præsentibus Tuam gratiam largiendo, futuris Tuâ misericordiâ præveniendo, præteritis verò omnibus requiem æternam tribuendo. Deus, qui es trinus & unus per cuncta sæculorum sæcula benedictus, Amen.

ORATIO CIRCA

Communionem dicenda.

DOmine Jesu Christe, qui hôc Sacramentô amoris, & pietatis infinitæ, memoriam mihi renovas passionis illius & mortis, quam inter dolores & ignonimias crucis extremas, immaculatus agnus passus es,

pro meis & mundi peccatis, ac miserijs tollendis, & pro felicitate æterna mihi communicanda: hauriam ego ex vulneribus Tuis, hauriam ex livore corporis Tui, in quo à planta pedis usque ad verticem capitis, non erat sanitas, hauriam ex illo sanguine tam affluenter tanto ardore charitatis effuso, hauriam, inquam, ardentem charitatem & amorem Tui. Inflammet me hoc ipsum præsens beneficium Tuum, Domine Jesu Christe, quia tanta cum pietate mihi Te communicas, tam familiariter & intimè mihi conjungeris: nec solùm domum meam pauperem non dedignaris, & plagas meas non exhortas; sed & corpore etiam, & sanguine Tuo sanctissimo ad me sanandum, præservandum, & confirmandum, medicinam conficis. O pijssime Jesu, an deerant Tibi omnipotenti alij modi reparandi & adju-

adjuvandi me, & ad ultimum finem deducendi? Non sanè, sed hoc eligere, ut amorem in me & pietatem abundantiùs demonstrares, voluisti. Quem ergo amorem, Bonitas infinita, quam gratitudinem huic beneficentiæ & amori Tuo retribuam? Quid ego agere, quid pati propter Te dignè potero? Auge Tu ipse in me, precor, dona gratiæ Tuæ, ut plus habeam, quod impendam servitio Tuo. Deus meus, & omnia, quid ego bonorum Tuorum non sperabo à Te? cum etiam te ipsum mihi tam amanter donaveris: cum in Te omnia illa esse videam, quæ spem maximam excitare solent. Potes enim, & vis mihi bene facere, potes quidem omne bonum conferre, quia omnipotens es, & indigentias meas non ignoras. Quomodo ergo si ipsi conjungas fonti, imò mari immenso & inexhausto bonorum omnium,

non hauriam aquas cum gaudio de fontibus Salvatoris? Vis etiam omne bonum conferre, qui summè benignus es, quia magìs, quàm ego ipse me diligis, quia magìs Tu conferre, quam ego recipere, desideras, & ne defectus meritorum me à Tua liberalitate excludat, Tu ipse merita mihi donas, qui mihi justitia factus es, in conspectu Divinæ Tuæ majestatis. Magnanimiter ergo spes mea, bonorum Tuorum communicationē copiosam à Te sperabo: & ut meam paupertatem omnium virtutum & gratiarum spiritualium thesauris locupletes, petam per Temetipsum, Qui cum Deo Patre, &c.

Oratio Thomæ de Kempis ante Communionem.

O Dulcissime atquè amantissime Domine Jesu Christe, quem nunc devotè desidero suscipere, Tu scis infirmitatem & necessitatem meam

am, quam patior, in quantis malis jaceo, quàm ſæpè ſum gravatus, tentatus, turbatus & inquinatus. Pro remedio ad Te venio, pro conſolatione & ſublevatione Te deprecor, ad omnia ſcientem loquor, cui manifeſta ſunt omnia mea, & qui plus potes me perfectè conſolari & adjuvare. Tu ſcis quibûs bonîs indigeo præ omnibus, & quàm pauper ſum in virtutibus. Ecce ſto ante Te pauper & nudus, gratiam poſtulans, & miſericordiam implorans. Refice eſurientem mendicum Tuum, accende frigiditatem meam igne amoris Tui, illumina cæcitatem meam claritate præſentiæ Tuæ, verte mihi omnia terrena in amaritudinē, omnia gravia & contraria in patientiam, omnia infima & creata in contemptum & oblivionem. Erige cor meum ad Te in cœlum, & ne permittas me vagari ſuper terram. Tu

ſolus mihi ex hoc dulceſcas uſque in ſæculum, quia Tu ſolus cibus & potus meus, amor meus, & gaudium meum, dulcedo mea, & totum bonum meum. Utinam me totaliter ex Tua præſentia accendas, comburas, & in Te tranſmutes, ut unus Tecum efficiat ſpiritus per gratiam internæ unionis, & liquefactionem ardentis amoris. Ne patiaris me jejunum & aridum à Te recedere, ſed operare mecum miſericorditer, ſicut operatus es cum Sanctis Tuis mirabiliter. Quid mirum ſi totus ex Te ignoſcerem, & in me ipſo deficerem? cùm Tu ſis ignis ſemper ardens, & nunquam deficiens, amor corda purificans, & omnem intellectum illuminans.

Alia Oratio S. Ambroſij.

AD menſam dulciſſimi convivij Tui, pie Domine Jeſu Chriſte, ego peccator de proprijs meritis nihil

hil præsumens, sed de tua confidens misericordia & bonitate, accedere vereor, & contremisco. Nam cor, & corpus meum habeo multîs criminibûs maculatum; mentem & linguam non cautè custodiatm. Ergo o pia Deitas, ô tremenda majestas, ego miser inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiæ recurro: ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio, & quem judicem sustinere nequeo, Salvatorem habere suspiro. Tibi Domine plagas meas ostendo: tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa & magna, pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum nō est numerus. Respice ergo in me oculîs misericordiæ tuæ, Domine Jesu Christe, Rex æterne Deus & Homo crucifixe propter hominem. Exaudi me sperantem in te, miserere mei pleni miseriîs & peccatîs, tu

qui fontem miserationis nunquam manare cessabis, salve salutaris victima, pro me, & omni humano genere, in patibulo crucis oblata. Salve nobilis & pretiose sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei Jesu Christi profluens, & peccata totius mundi abluens. Recordare Domine creaturæ tuæ, quam tuo sanguine redemisti, pœnitet me peccasse: cupio emendare, quod feci. Aufer ergo à me clementissime Pater, omnes iniquitates & peccata mea: ut purificatus mente & corpore, dignè degustare merear Sancta Sanctorum, & concede, ut Sancta prælibatio corporis et sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio: sit delictorum perfecta purgatio: sit turpium cogitationum effugatio, bonorumq; sensuum regeneratio, operumq; tibi placentium salubris efficacia

cacia, animæ quoquè et corporis cõtra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio, Amen.

Oratio 8. Thomæ Aquinatis.

OMnipotens sempiterne DEUS, ecce accedo ad Sacramentum unigeniti Filij tui Domini nostri Jesu Christi, accedo tanquam infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fõtem misericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper et egenus ad Dominum cœli et terræ. Rogo ergo immensæ largitatis Tuæ abundantiam; quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare fœditatem, illuminare cœcitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem: ut Te Panem Angelorum, Regem regum, Dominum dominantium, tantâ suscipiam reverentiâ & humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animæ

ti animæ meæ. Da mihi quæso Dominici Corporis et Sanguinis non solùm suscipere Sacramentum sed etiam rem et virtutem Sacramenti, O mitissime Deus, da mihi Corpus unigeniti Filij Tui Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari, et inter ejus membra connumerari. O amãtissime Pater, concede mihi dilectum Filium Tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuò contemplari. Qui Tecum vivit, etc.

Alia ante Communionem.

ADventanti Tibi Domino gestit obviam procedere animus, sed deprimit peccatorum enormitas: Tu ergo procedis, et immundi, abjecti, despectiq; pulsas januam. Munda primùm mundandum, purga purgandum, et Tuæ voluntati aptum, mentis

meæ

meæ præpara habitaculum: adorna thalamum virtutum coronîs Deitatis Tuæ, et fidei intus accenso lumine totum niteat palatium. Ecce Regum ditissime, pauperculi subis tugurium; sed quid dico tugurium? ego ad Te venio Pater, indignus qui tanti Patris dicar filius. Ne projicias me in ira Tua, secundùm meritum meum. Fac me sicut unum ex mercenariis Tuis, ut tantum gratiæ & misericordiæ Tuæ panem in domo Tua comedam. Quid facies filio ultrò delictum suum confitenti Pater. Et si quid pro demerita ira sustinendū est, hìc seca, hìc ure, in Tua voluntate, ut in æternum parcas Domine, tantùm non desit mihi gratia Tua. Nullam, fac, dem iræ Tuæ occasionem: & quia Tu es Sponsus animæ meæ, totum me Tibi trado. Largire gratiam, ut quod jubes faciam, plenè Tibi deserviam, totus Tuus

sim

sim, me ipsum Tuâ causâ abnegem, ut nunquam à Te dividar.

Alia ante Communionem.

AVe sanctissima Caro Christi, & Sanguis. Ave summa dulcedo, quæ detrimentum nescis, fastidium tollis, mortem necas, vitam æternam præstas. Ave beata refectio, quæ electos Tuos de mundi hujus exilio ducis ad patriam. Ave felix hostia, quæ in crucis ara Deo Patri pro nostrorum peccatorum põdere es oblata. Ave manna nive candidius, melle dulcius, omnî aurô pretiosius. Aufer obsecro Pastor bone, à me iniquitates, ut purificatus corpore, mente & spiritu, merear degustare Sancta Sanctorum. Sit mihi hoc venerabile Sacramentum, contra hostiles insidias expugnabile præsidium: ut hoc salutari viatico refectus, lubricas hujus vitæ vias, & immaculato calle transire ad Te

panem

panem vivum & verum, Angelorũ, Dominum sine impedimento diabolicæ fraudis valeam pervenire. Exaudi me, placare Domine, attende, & fac, ne moreris per Temetipsum Deus meus, quia nemo tanti mysterij poterit esse dignus: nisi Tu omnipotens suscipientem feceris esse dignum. Qui cum Deo Patre, &c.

Oratio ad B. Virginem Mariam ante Communionem.

O Mater misericordiæ, Virgo Sanctissima, Mater Domini nostri Jesu Christi, quæ ex nimia humilitate, dilectissimum Filium Tuum concipere, fovere, & lactare meruisti. Cujus sacrosanctum Corpus & Sanguinem, ego hodie, quãvis indignus, & peccator labijs pollutîs, corde & conscientiâ sordidâ, suscipere tamen dignè desidero. Ad aures Tuæ pietatis misericordissima Mater, ex profundissimis cordis mei abyſ-

abyssis preces fundo, humiliter deprecans, quatenus ipsum mihi placare digneris, ut remissis & deletîs meîs criminibûs, gratiam suam sanctissimam mihi largiri dignetur: & me custodire ab omni periculo & negligentia in hâc communione sui Sanctissimi corporis: & concedat mihi sic suum Sacrosanctum corpus & sanguinem suscipere, ut in extrema peregrinatione, ipsum viaticum optinere merear in vitam æternam, Amen.

O clemens, ô pia Virgo Maria, Dei Genitrix, miserere mei, & impetra mihi à Filio Tuo, vitæ puritatem, & sanctitatem: ut post hanc vitam Tibi cum Filio associer, Amen.

Oratio cum jam accedis ad altare.

DEus meus, adjutor meus, protector meus, præparatio cordis mei: in Te spes mea, fiducia mea, & refugium meum: in totum diffidens

dens de me, pro Tua promissione accedo ad Te, ut communicato corpore & sanguine Tuo, post remissionem peccatorum meorum, post fidei augmentum, crescam membrum mystici corporis tui in Te, & perseverem usque in finem vitæ meæ. Am.

O Domine JESU Christe, ut intres sub tectum cordis mei, dignus non sum: Tibi tamen cognita indigentia mea est, ob id summè & ex animo præsentiam Tuam expecto, ut Tuo jussu consolatum confirmes me. Dic ergo verbum; & sanabitur anima mea, Amen.

O Domine Jesu Christe Sacrosanctum Corpus Tuum, in quo pro me mortem passus es, & pretiosus sanguis Tuus, qui pro me effusus est in remissionem peccatorum meorum, dimissis delictîs meîs conservet, custodiat, & in vitam perducat, Amen.

O Domine Jesu Christe, Verbum

Patris æterni, mundi salus, verus vivusquè Deus & Homo: ab omni malo per sanctum corpus tuum libera nos: ut resumptîs ex ejus pastu viribûs, mandata tua & vota nostra adimpleamus, & tecum in æternum permaneamus, Amen.

Gratiarum actio post Missam.

ANTIPHONA.

TRium puerorum cantemus Hymnum: quem cantabant Sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Quæ Antiphona tantùm in duplicibus duplicatur.

Cánticum trium Puerorum.

Benedicite omnia opera Domini &c.

Psalmus 150.

Laudate Dominum in Sanctis, &c.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem

onem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua. ℟. Et Sancti tui benedicant tibi. ℣. Exultabunt Sancti in gloria. ℟. Lætabuntur in cubilibus suis. ℣. Non nobis Domine non nobis. ℟. Sed nomini tuo da gloriam. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propítius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

ACtiones nostras quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio & operatio, à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

DA nobis quæſumus Domine, vitiorum noſtrorum flammas extinguere, qui Beato Laurentio Martyri Tuo tribuiſti tormentorum ſuorum incendia ſuperare. Per Dominum noſtrum. ℟. Amen.

ORATIO POST Miſſam.

GRatias Tibi ago Domine piiſſime, quòd me ad officium Sacerdotale elegiſti, gratias Tibi ago dulciſſime DEUS, quòd me dulciſſimo Corpore & Sanguine Tuo refeciſti: gratias Tibi ago clementiſſime DEUS, pro devotione, quâ me in hac Miſſa ſpecialiter reſpexiſti: gratias Tibi ago benigniſſime Domine, quòd me protegendo à periculoſis negligentiis cuſtodiſti. Ecce Domine Deus, pro gratiſſima electione, pro dulciſſima refectione, pro tam piiſſima reſpectione & cuſtodia Tibi Domi-

Domine Deus, ex toto corde gratias ago, Te benedico Te glorifico in æternum. Eja oro nunc piissime Domine Deus, ut sit mihi hoc dulcissimum Sacramentum, contra omnium peccatorum meorum vulnera efficacissimum medicamentum: sit mihi benignissime Deus, hoc pretiosissimum Sacramentum gratiæ Tuæ ac virtutis augmentum: sit mihi piissime Deus, hoc amænissimum Sacramentum, contra omnia pericula, tam in hac vita, quàm in morte validissimum tutamentum, atq; ad æternam beatitudinem solidissimum fulcimentum. O mi Domine Deus, per sumptam, quæso, Eucharistiam, da mihi ut à peccatis emundatus, fine bono consummatus, Tecum in perpetuum sim beatus, Amen.

Ad B. Virginem Mariam, post Missam Oratio.

O Beatissima & dulcissima Virgo Ma-

MARIA, Mater Domini noſtri Jeſu Chriſti, cujus idem veraciſſimum Corpus & Sanguinem, ego miſer & indignus peccator ſumere præſumpſi: precor Te humiliter & devotè, ut ad ipſum pro me intercedere digneris, ut quidquid in hoc Sanctiſſimo Sacramento ignoranter, aut negligenter commiſi, præcipuè defectu veræ fidei, charitatis, devotionis, attentionis, & reverentiæ, mihi ſua pietate ineffabili, & miſericordia inenarrabili, Tuis ſanctîs meritîs & precibûs indulgere dignetur. Amen.

ORATIONES
poſt Communionem.

Nunc dimittis ſervum Tuum Domine, &c.

BEnigniſſime Domine Jeſu Chriſte, reſpice ſuper me indignum famulum Tuum oculîs miſericordiæ Tuæ, quibûs reſpexiſti Petrum in atrio,

Magda-

Magdalenam in convivio, latronem in crucis patibulo. Et concede ut cùm Petro peccata mea dignè defleam, cum Maria Magdalena ardenter Te diligam, cum latrone in cœlesti paradiso æternaliter Te videam. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Alia immediatè post Communionem.

VEra perceptio Corporis & Sanguinis Tui omnipotens DEUS, non veniat mihi ad judicium, nequè ad condemnationem: sed sit omnium peccatorum meorum optata remissio, & corporis pia gubernatio, & potens ad vitam æternam introductio. Amen.

Oratio S. Thomæ post Communionem.

GRatias Tibi ago Domine sanctæ, Pater omnipotens, æterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum Tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ Tuæ

ſatiare dignatus es pretioſo Corpore & Sanguine Filij Tui Domini noſtri Jeſu Chriſti. Et precor, ut hæc ſancta Communio, non ſit mihi reatus ad pœnam, ſed interceſſio ſalutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, & ſcutum bonæ voluntatis. Sit vitiorū meorū evacuatio, concupiſcentiæ & libidinis exterminatio, charitatis & patientiæ, humilitatis & obedientiæ, paupertatis & caſtitatis, temperantiæ & ferventis devotionis Omniumq; virtutū augmentatio, contra inſidias inimicorum omnium, tam viſibilium, quàm inviſibilium firma defenſio, motuum meorum, tam carnalium quàm ſpiritualium, perfecta quietatio, in *Te* uno ac vero Deo firma adhæſio, atquè finis mei felix conſūmatio. Et precor Te, ut ad illud ineffabile convivium, me peccatorem perducere digneris, ubi Tu cum Filio Tuo, & Spiritu Sancto, ſanctis Tuis es lux vera,

ſatie-

satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata, & felicitas perfecta.

Alia Oratio post Communionem.

GRatiarum actio, sempiterna laus, honor, & benedictio Tibi sit Pater cœlestis, Deus omnipotens, qui pauperculum in exilio hoc, & lachrymarum valle morantem me Sancti Spiritûs Tui recreasti gratiâ, cœlestibûs Corporis & Sanguinis Tuis refecisti dapibûs. Per ipsam Tuam miserationem, mihi clementer concede in omnibus & super omnia Te diligere facta Tua cum admiratione perpendere, inordinatas affectiones à me secludere vitam per omnia emendare pro Tui nominis gloria ad meam salutem, de virtute in virtutem procedere, ut Te summum bonum post hanc vitam in sempiternæ felicitatis Sion possim conspicere. Ubi Tu cum eodem Filio Tuo Do-

mino noſtro Jesu Chriſto, & Spiritu Sancto, vivis & regnas ſuper omnem immortalitatem, per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

ALIA ORATIO
poſt Communionem.

DOminator & Salvator univerſæ creaturæ, Domine Jeſu Chriſte Fili Dei vivi, qui omnem meam infirmitatem curare vales, quoniam Dominus potens es, & vis propitiari iniquitatibus meis, quia Salvator es, & ad hoc in mundum veniſti, ut perdita quæras, & ſalves quæ perierunt. Concede pro bonitate Tua & miſericordia, ad meam etiam ſervire ſalutem, quod pro omnium redemptione dignatus es impendere, ut virtute ſacroſancti Corporis & Sãguinis Tui, quod ego hodie licet indignus, utinam tamen dignè perceperim, mundus à peccatis, purus à

ſordi-

ſordibus, & à periculis liber efficiar: qui ob idipſum immolari in cruce voluiſti, ut Corporis & Sanguinis Tui ſacrificiô, & pro delictis propitiationem, & à periculis liberationem, toti mundo impetrares, da ut hâc cœleſti alimoniâ ſaginatus, in fortitudine cibi illius, viam mandatorum Tuorum indeffeſſus percurrã. Præveni me gratiâ Tuâ, ne me à Te ſeparent ullæ iniquitates inpræſenti ſæculo. Subſequatur me miſericordia Tua ne me à beatitudinis Tuæ conſortio repellas in futuro, Amen.

Oratio ex Concilij Tridentini ſeſſ. 13. Cap. 8.

OMnipotens ſempiterne Deus, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, Te rogo & obſecro, ut nos omnes & ſinguli, qui Chriſtiano nomine cenſemur in hoc unitatis ſigno, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ ſymbolo, jam tan-

dem aliquando conveniamus & concordemus: memoresquè tantæ majestatis, & tam eximij amoris Jesu Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostræ salutis pretium, & carnem suam nobis dedit ad manducandum: hæc sacra mysteria Corporis & Sanguinis ejus, eâ fidei constantiâ & firmitate, ea animi devotione, ea pietate & cultu credamus; & veneremur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possimus. Et is verè sit nobis animæ vita, & perpetua sanitas mentis, cujus vigore confortati, ex hujus miseriæ peregrinationis itinere, ad cœlestem patriam pervenire valeamus, eundem panem Angelorum quem modò sub sacris velaminibus edimus absquè ullo velamine manducaturi. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Oratio quâ petitur unio cum Christo.

GRatias ago Tibi ex toto corde meo Bonitas effusissima, abyssus infinitæ misericordiæ, qui tam indigenti servo Tuo, omne bonum in Te ipso conferre, qui tam indigno peccatori, fructum passionis & mortis Tuæ, cum corpore & Sanguine Tuo sanctissimo tam amanter applicare voluisti: gratias ago Tibi de tanto beneficio, tam singulari, & de charitate illa inæstimabili, quâ id mihi contulisti: & precor eandem bonitatem Tuam, ut Tua ipse dona in me conserves & augeas, ad honorem & gloriam Tuam, solicitam sẽsuum & linguæ, & cogitationum custodiam tribuendo, ut in me Tibi nihil displiceat, strenuè operari ex puro & ferventi amore Tuo, quæ ad honorẽ Tuũ, & proximorũ salutẽ sunt, concedendo: ut in omnibus actionibus meis Tibi placeã, ut nun-

quam à me ſeparari velis qui tam dignanter & intimè Te mihi conjunxiſti, donec in unione Beatiſſimæ gloriæ Tuæ Tibi inavertibiliter & æternabiliter adhæream. Anima ergo Chriſti ſanctifica me, Corpus Chriſti inebria me, Aqua lateris Chriſti lava me, Paſſio Chriſti conforta me. O bone Jeſu axaudi me, intra vulnera Tua abſconde me, ne permittas me ſeparari à Te, ab hoſte maligno defende me, in hora mortis meæ voca me, & jubeas me venire ad Te, ut cum ſanctis Tuis laudē Te in ſæcula ſæculorum, Amen,

Alia Oratio.

INeffabilem miſericordiam Tuam, Domine JESU Chriſte, humiliter exoro, ut hoc Sacramentum Corporis & Sanguinis Tui, quod indignus ſuſcepi, ſit mihi purgatio ſcelerum, ſit fortitudo fragilium, ſit cōtra mundi pericula firmamentum,

sit impetratio veniæ, sit stabilimentum gratiæ, sit medicina vitæ, sit memoria Tuæ passionis, sit contra debilitatem fomentum, sit viaticum meæ peregrinationis. Euntem me conducat, errantem reducat, revertentem me suscipiat. titubantem me teneat, cadentem me erigat, & perseverantem me in gloriam introducat. O altissime Deus, beatissima præsentia Corporis & sanguinis Tui, sic immutet palatum cordis mei, ut præter Te nullam unquam sentiat dulcedinem, nullam amet pulchritudinem, nullum quærat illicitum amorem, nullam desideret consolationem, nullam admittat unquam delectationem, nullum curet honorem nullam timeat crudelitatem.

Oratio S. Bonaventuræ post Communionem.

TRansfige dulcissime Domine JESU Christe, medullas

& viſcera animæ meæ, ſuaviſſimo ac ſaluberrimo amoris Tui vulnere vera ſerenaq; & Apoſtolica ſanctiſſima charitate, ut langueat & liquefiat anima mea, ſolo ſemper amore & deſiderio Tui, Te concupiſcat & deficiat in atria Tua, cupiat diſſolvi & eſſe Tecum. Da ut anima mea Te eſuriat panem Angelorum, refectionem animarum ſanctarum, panem noſtrum quotidianum ſuperſubſtantialem, habentem omnem dulcedinem & ſaporem, & omne delectamentum ſuavitatis. Te in quem deſiderant Angeli proſpicere, ſemper eſuriat & comedat cor meum, & dulcedine ſaporis Tui repleantur viſcera animæ meæ, Te ſemper ſitiat fontem vitæ, fontem ſapientiæ & ſcientiæ, & æterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domûs Dei: Te ſemper ambiat, ſemper quærat, Te inveniat, ad Te tendat ad Te perve-

niat,

niat, Te meditetur, Te loquatur, & omnia operetur in laudem & gloriã nominis Tui, cum humilitate & discretione cum dilectione & delectatione, cum facilitate & affectu, cum perseverantia usquè in finem: & Tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, jucunditas mea, gaudium meum; quies & tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, refectio mea, refugium meum, auxilium, meum, sapientia mea, portio mea, & possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa & firma, & immobiliter semper sit radicata mens mea, & cor meum. Amen.

Oratio ad B. Virginem Mariam, post Communionem.

COmmendo me Tibi, serenissima Virgo MARIA, quæ in Tuo sacratissimo utero, eundem Dominum, quem ego modo suscepi, de Spiritu Sancto conceptum dignè portasti,

tasti. Precor te Matrem Dei, ut pro me apud eundem Filium tuum intercedas, ut quacunq; ratione, in summi Sacramenti hujus sumptione deliqui, hujus negligentiæ & indignitatis meæ veniam impetres. Tu semper casta, pura, innocens, post conceptum Filium, etiam, Castior, purior, sanctior, Deoque gratior evasisti. Utinam & ego, tam divini Sacramenti perceptione, ita sanctificer, ut deinceps cor & corpus meum ab omni lethalis peccati macula tuear impollutum tu conceptô Filiô, magnificas laudes Domino lætè decantasti, & in Deo salutari tuo mirabiliter exultasti. O si tuis efficacibûs precibûs id assequar, Virgo Mater, ut cum hac sacra cômunione; novum & ardentem spiritum conjungam, ac semper in gratiarum actione piè verser, tantoque redemptori ac hospiti, me nunquam
ingra-

ingratum, ſed fidum in omnibus miniſtrum oſtendam.

Oratio ad B. Virginem, & omnes Sanctos, poſt Communionem.

SEreniſſima, nobiliſſima, Sanctiſſima, & inclyta Virgo Maria, Mater Domini noſtri, quæ eundem Creatorem omnium in Tuo ſacratiſſimo utero digna fuiſti portare, cujus ſacratiſſimum corpus hodie indignus & indignè ſumere præſumpſi: rogo Te per illam humilitatem Tuam ut ad ipſum pro me peccatore miſero, intercedere digneris, ut omnes defectus & negligentias meas, in hac ſumptione ſui ſacratiſſimi Corporis, dignetur mihi clementer indulgere: & quidquid mihi defuit, merito ſuæ paſſionis acerbiſſimæ & innocentiſſimæ compenſare. Et tu Sancte Joannes Baptiſta, ejuſdem Domini præcurſor & amice, qui inter materna viſcera poſitus, exultans, ipſum adeſſe mi-

ſe mirabiliter cognoviſti, tandemquè mundo ſua peccata portantem digitô oſtendiſti, atquè ipſum in Jordane baptizans vix illud tremendum atquè glorioſum caput auſus es tangere, quem ego nunc totum tangere, ſumere, immundîs & innumerabilibûs peccatîs oneratus, non expavi. Tu oro, digneris pro me peccatore intercedere, ne hæc communio ſacratiſſima ſit mihi reatus ad judicium & pœnam, ſed ſalutaris ad veniam interceſſio, & potens ad vitam æternam introductio. Et vos omnes Sancti & electi Dei, qui aſſiduè ejus viſione fruimini, ad cujus menſam ego tam impræparatus accedere, & tam ingratus recedere præſumpſi, nec omnino formidavi: veſtrum, inquã, ego ſuffragium & orationes depoſco, dignemini pro me Domino noſtro Jeſu Chriſto ſupplicare: qui me licet indignum, ad ſuam ſacratiſſimam
men-

mensam vocare dignatus est atquè illi gratias agere qro tanto beneficio, nam ipse ad hoc faciendum sufficere non valeo. Vos inquam, orate eum, ut quidquid in hujus ineffabilis Sacramenti sumptione ignoranter, negligenter, vel accidentaliter commisi, omisi, vel peccavi, vestrîs meritîs sanctissimîs, & meritô, suæ passionis innocentissimæ dignetur mihi indulgere, & doceat me ad hoc sacrosanctum Corpus suum, cum sibi placuerit, meliùs præparatè accedere. Insuper dignetur me miserum peccatorem, unà cum omnibus mihi commisis, benefactoribus, propinquis, cognatis, cunctoquè populo Christiano, & cum omnibus, pro quibus volo & teneor orare ab omnibus peccatis mundare, & ab imminentibus sceleribus conservare, ab omnibusquè malis, tam animæ, quàm corporis, tueri & defendere. Et hâc

vitâ benè tranſacta, concedat nos feliciter ad æternam beatitudinem pervenire, & in conſpectu ſuo jucundiſſimo æternaliter vobiſcum regnare. Qui vivit & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritûs Sancti Deus. Per omnia ſæcula ſæculorum. A.

Oratio ante Confeſſionem Sacramentalem.

PEr Sanctorum omnium Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, atq; ſanctarum mulierum merita, orationes, interceſſiones, paſſiones, & ſuffragia: infũde cordi meo clementiſſime Deus per gratiam Spiritûs Sancti compunctionem & fontem lachrymarum, ut poſſim reatum conſcientiæ meæ perfectè cognoſcere, & delicta facinorum meorum plenariè confiteri, & devotè commiſſa accuſare, et de commiſſis omnibus dignam agere

pœni-

pœnitentiam valeam, & de his Tuâ præstante gratiâ et misericordia, perfectam habere veniam. Amen.

Alia commoda Oratio ante sacram Confessionem.

SUscipe confessionem meam piissime ac clementissime Domine Jesu Christe, unica spes salutis animæ meæ, et da mihi obsecro, contritionem cordis, et lachrymas oculis meis, ut defleam diebûs ac noctibûs omnes negligentias meas, cum humilitate et compunctione cordis. Appropinquet oratio mea in conspectu Tuo Domine. Si iratus fueris Domine contra me, quem adjutorem quæram, aut quis miserebitur iniquitatibus meis? Memento mei Domine, qui Chananeam & Publicanum vocasti ad pœnitentiam, & Petrum lachrymantem suscepisti. Domine Deus meus, suscipe preces meas, Salvator mundi Jesu bone, qui

Te

Te crucis morti dedisti, ut peccatores salvos faceres : respice in me miserum peccatorem invocantem nomen Tuum atquè noli sic attendere malum meum, ut oblivifcaris bonū Tuum. Et si commisi, unde me damnare potes, Tu non amisisti unde me Domine salvare soles : parce ergo mihi, qui es Salvator meus, & miserere peccatrici animæ meæ, solve vincula ejus, sana vulnera Domine Jesu, Te desidero, Te quæro, Te volo, ostende mihi faciem Tuam & salvus ero. Emitte igitur pijssime Domine, meritis purissime & immaculatæ semper Genitricis Dei Virginis Mariæ, & Sanctorum Tuorum lucem Tuam, & veritatem Tuam in animā meam, quæ omnes defectus meos in veritate mihi ostendat, quos confiteri me oportet, atq; juvet & doceat ipsos plenè & contrito corde explicare. Qui vivis, &c.

Oratio post Confessionem.

SIt Tibi Domine obſecro, meritis Beatæ ſemper Virginis Mariæ Genitricis Tuæ, & omnium ſanctorum & ſanctarum, grata & accepta confeſſio mea, & quidquid mihi defuit nunc & alias de ſufficientia contritionis, de puritate & integritate confeſſionis, ſuppleat pietas, & miſericordia Tua, & ſecundum illam digneris me habere pleniùs & perfectiùs abſolutum in cœlo. Qui vivis &c.

Alia Oratio.

OMnipotens, ſempiterne & miſericordiſſime Deus, qui veniſti peccatores redimere: rogo Te per dulciſſimum Sacramentum Corporis & Sanguinis Tui, ut mihi donare digneris indulgentiam & remiſſionem omnium peccatorum meorum præteritorum & præſentium: ut dignam agere valeam pœnitentiam: & in bonis

bonis operibus perseverantiam habeam, ac toto corde Te diligere valeam, & quæ Tibi placita sunt; tota dilectione perficere, & post hanc vitam nunquam à Te separari valeam. Qui vivis & regnas, &c.

Pro remissione peccatorum.
Cum Confessione, Oratio.

OMnipotens Deus, Pater misericors, ecce indignus ego peccator, coram Divinæ Tuæ majestatis solio compareo: multitudinem delictorum meorum in divinam legem, sanctamq; voluntatem Tuam, ad pedes Tuos proijcio: multiplicata erant in carne mea super numerum, sicut arena quæ est in littore maris, & veluti onus grave, gravata sunt super me. Agnosco Domine hoc sathanæ regnum esse in me, quod carnis meæ concupiscentias secutus, in unitate cogitationum, in levitate verborum, in stultitia operum, in

cœcitate cordis, in amore mei, in mentitæ virtutis colore, & deniq; in picta demortuæ fidei imagine miseram hei mihi, servitutem tanto tẽpore sustinui O dolorem, quòd nũquam firmo proposito iniquissimi illius hostis tyrannidem, carnisq; meæ abjecerim jugum: contra sanctas ac salutares divini Spiritûs inspirationes obdurato animo secluserim. Væ mihi, qui tot tantisq; delictis, beneficentissimi Patris indignationem iramq; meruerim. Sed clementissime Pater, quoniam justitia Tua per fidem Jesu Christi in omnes, & super omnes credentes manifesta est, ut omnes justificationem quæ est in Christo Jesu, consequerentur, quem Tu Deus posuisti omnibus propitiationem per fidem in sanguine ipsius. Igitur veræ fidei in hoc gratiæ tempore, per Jesum Christum à Te Patre augmentum exopto, & pro ipsius

psius nomine remissionem delictorũ meorum efflagito: ut de debito securus: deinceps innovationem vitæ proponens, omnibus impijs concupiscentijs inimicus, sobriè, jejunè, piè, temperanter, clementer benignè & humiliter, secundum divinam voluntatem Tuam, in Tuo timore, hujus vitæ cursum peragam, mundo, carni, peccatisq; mortuus, Filij Tui Domini nostri Jesu Christi adventũ cupide expectem. Qui Tecum vivit & regnat, &c.

Alia Oratio.

O Domine JESU Christe, tanta sunt scelera mea, ut vix ablui possint: ultra modum me miserum vitiavi spontaneô studiô me pollui, propriô arbitriô me perdidi, sponte me maculavi, infelix ego graviter peccavi, carnis aggravor stimulô, & ad peccatum consvetudo me adstringit: unde afflictus detineor, a-

gere bona ſemper negligo, ſed deſidero: heu me infelicem, in tantis peccatis, in tantis ſceleribus, in tam multis iniquitatibus ſum involutus, quid primò plorem? quid primo plangam? pro quibus lachrymas fundã? ignoro. Quare Domine numerare non ſufficio, tantorum criminum geſta, reus terreor pavore peccati, metuo Domine diem judicii: ſi vix juſtus ſalvabitur, ego impius, & peccator; ubi apparebo, quid faciam miſer ubi fugiam? quid ſum dicturus cum ante tribunal Chriſti ero præſentatus: Væ diei illi quando peccavi, quando tranſgreſſus ſum mandatum Tuum, quia nullum crimen invenies cujus ſordibus non ſim inquinatus, nullum vitiorũ morbum, quô ego miſer non ſim pollutus. Ut benè viverem promiſi, quod ſum pollicitus non ſervavi, ſemper ad peccatum redii, ſemper delicta ite-

ravi, nunquam in melius mores mutavi, nunquam à malefactis recessi, scelere meo multæ animæ perierunt, & propter exemplum meum, ego multis fui causa malorum. Succurre mihi Deus, antequam moriar, antequam mors me præveniat antequam me tartara recipiant, antequã tenebræ me involvant, priusquam gehennæ ignibus devorer, priusquã sine fine crucier: quia non est insolutum Tuæ clementiæ, nequè indecens Tuæ justitiæ, minùs quam impotens Tuæ potentiæ. Dignare igitur recognoscere in me quod Tuum est, & absterge quod est alienum. Qui cum Patre & Spiritu S. &c.

Devotissimus, quotidie sacratissima quinq; vulnera Domini nostri Iesu Christi, salutandi modus.

DUlcissime JESU, adoro vulnus manûs Tuæ dextræ. Da mihi quæso, victoriam de me ipso, & gratiam

tiam extirpandi ex corde meo omnia vitia, & inclinationes malas. Recommendo Tibi in hoc vulnus, universalem sanctæ Ecclesiæ statum, conversionem infidelium, & reductionem ad eandem omnium hæreticorum.

Pater noster, Ave Maria.

Patientissime Jesu, adoro vulnus manus Tuæ sinistræ. Rogo Te, da mihi patientiam in omnibus adversitatibus, largire mihi fortitudinem in extremo vitæ momento, & gratiam evitandi mortem æternam In idem vulnus Tuum sacrosanctum, commendo Tibi Tuos utriusq; sexûs fideles.

Pater nost.r Ave Maria.

Amabilissime Jesu, adoro sacratissimum vulnus pedis Tui dextri. Da mihi, quęso, gratiam progrediendi semper in melius in via Tuorum sacratissimorum mandatorum,

in operibus bonis, & augmento omnium virtutum, secundùm Tuam sanctissimam & Divinam voluntatem. In idem sacratissimum vulnus commendo Tibi omnes Ecclesiasticos, & utriusque sexûs Religiosos.

Pater, noster, Ave Maria.

Benignissime Jesu, adoro sacratissimum vulnus pedis Tui sinistri. Obsecro Te, libera me ab omnibus periculis tam animæ quàm corporis, & da mihi gratiam effugiendi omnia peccata, & peccandi occasiones. In idem vulnus sacratissimum recommendo Tibi omnes meos benefactores, propinquos, amicos, inimicos, & omnes omninò, pro quibus orare teneor.

Pater noster, Ave Maria.

Amabilissime & misericordissime Jesu, indignissimus ego in Tuo conspectu peccator, adoro vulnus, sacratissimi lateris Tui. Oro humillime

me, ut ardentissimo Tuo amore me incendas, ut omni inordinato affectu ad quascunque creaturas derelicto, Tu solus semper cor meum inhabites. Commendo huic sacratissimo vulneri Tuo, omnes animas, quæ in purgatorio detinentur.

Pater noster, Ave Maria.

PRÆPARATIO
MENTALIS,
Ante Divinum Officium, maximè ante Horas Canonicas,

ORATIO.

APeri Domine os meum ad benedicendum Nomen Sanctum Tuum: munda quoque cor meum ab omnibus vanis, perversis & alienis cogitationibus; intellectum illumina, affectum inflamma, ut dignè attentè, ac devotè hoc officium recitare valeam, & exaudiri merear an-

te conſpectum Divinæ majeſtatis Tuæ. Per Dominum noſtrum ℟. Amen.

Domine in unione illius Divinæ intentionis, qua ipſe in terris laudes perſolviſti, has Tibi horas perſolvo.

Meditatio ſub Divino Officio Matutina.

Sub primo nocturno tria in horto.

(A Juda traditum.
Jeſum, (A Judæis captum.
(In Hieruſalem tractum.

Sub ſecundo nocturno, meditaberis in domo Annæ.

Tria.
(De diſcipulis interro-
(gatum.
Jeſum, (De doctrina examina-
(tum.
(In maxilla verberatũ.

Sub tertio nocturno, in domo Cai-
(phæ, tria.
(In facie velatum.
Jeſum, (Conſputum.
(Colaphiſatum.

In

In Laudibus meditaberis quinque salutaria passionis Christi in cellario:

1. Intrusionem Christi Domini in carcerem.

2. Locationem in sedili carceris Christi Domini.

3. Alligationem ejusdem in carcere ad columnam per collum.

4. Velationem faciei, consputationem, percussionem.

5. Multorum horribilium ludibriorum sustinentiam idque tota nocte, & à vilissimis ac ebriosis personis.

Vel sub primo Psalmo Laudum: Creationem Tuam cum gratiarum actione humillima, recogitabis.

Sub secundo: Redemptionem, invitando omnia ad laudem Dei, per: Jubilate Deo omnis terra.

Sub tertio: vocationem ad religionem, *In terra deserta inaquosa & in sancto apparui Tibi.*

Sub quarto: beneficia in religione

ne accepta, ſpiritualia & temporalia, promotione ad omnia: *Ideò Benedicite, &c.*

Sub ultimo: promiſſionem Regni cœleſtis: *Ideò Laudáte Dominum &c.*

MEDITATIONES
ante primam Horam.
Accedendo ad Meditationem.

Æſtima te cernere Deum, Patrem in excelſis reſidentem, roga eum, ut auream ſagittam ad te dirigat, qua cor Tuum amore ſuo vulnerat.

2. Puta te videre Deum Filium cum vulnerum ſuorum cicatricibus mirificè radiantibus, deprecare eum, ut tuo pectori crucem ſuam ſanguineam imprimat.

3. Puta te aſpicere Spiritum Sanctum ſole & luna fulgentiorem, obteſtare eum, ut ad te candidam gratiæ ſuæ columbam demittat.

4. Finge denique Te ex latere obtu-

obtueri B. V. Mariam, ſtellis coronatam, ei cor tuum præſenta, ut Filio ſuo offerat.

Imaginare te cernere innumeras Beatorum Spirituum phalanges circumquaq; diffuſas, qui ei miniſterio, quod contemplatus es, aſſiſtant.

Cum profundiſſima animi ſubmiſſione eis te commenda, ut tibi ſuffragentur.

Nota.

SI aliquid lætum vis meditari, mente concipe, te procedere ad nuptias ſponſi animæ tuæ.

Si de paſſione, quaſi exequias celebraturus accede.

Pro diverſitate materiæ, diverſos affectus in te excita.

Finiendo Meditationem.

COnſidera te cernere à dextris tuis Chriſtum Dominum; à ſiniſtris Sanctam V. Mariam, te verò flagitioſum in medio tantæ ſocietatis.

Prorumpe in hæc verba vel similia.

TE adoro ô diviniſſime Fili cultu latriæ, Teq; obſecro, ut è vulnere ſacri lateris Tui ſcaturire facias, vel ſaltem unicam pretioſi Sanguinis Tui guttulam, qua anima purificetur, priuſquam hinc abſcedam.

Te etiam ô Beatiſſima Mater cultu Hyperduliæ venerans obſecro, ut ſitibundam animam meam lacte cœleſtis gratiæ reficias, quare utriuſque virtute, ſanguinis videlicet & lactis roboratus huc accedo, veſtra ſacra benedictione & licentia ô Chriſte ô Maria, munitus, ut negotiis ſpiritualibus intendam, quæ tamen ita tractare ſtatuo, ut à vobis nunquam cogitationem ſejungi, ſed ad occupationem hanc ſanctam recurrere animus ſit, vos mihi quæſo auxiliô eſtote, neq; me unquam præſidiô veſtrô deſtituite.

Exercitium Contritionis.

O Judex ſupreme æquiſſime & ſuper omnia tremende. Ecce ego viliſſimus peccator coram Te ſtans, me totum Tibi proſterno, & humiliter confiteor, quia in multis præſertim in his N. N. in Te & coram Te peccavi.

Exprime quod defles.

DOleo igitur ſuper his & omnibus peccatis meis, doleo non tàm propter damna & mala quæ incurri, ſed potiſſimũ, quia Te Deum ac Creatorem meum offenderim.

Et nunc Domine Deus meus Pater miſericordiarum omnia & ſingula peccata mea (imò & totius mundi) depono in cruenta vulnera Tua, & in pretioſum ſanguinem Tuum proijcio, ut ibi per merita & interceſſiones Beatiſſimæ Virginis Mariæ Matris Tuæ, & S. N. P. Franc: & omnium ſanctorum ad nihilum redi-

gantur, abſorbeantur & expientur.

Et quia dolor meus valdè imperfectus, obſecro Te, ut per dolores & contritiones cordis Tui, Tuæque Sanctiſſimæ Matris compaſſiones, & Sancti Petri, Sanctæ Mariæ Magdalenæ, cæterorumque omnium, qui unquam verè pœnituerunt lachrimas, quidquid mihi deeſt, benignè & abundanter ſuppleas; & hunc Contritionis veræ actum, in me ad gloriam Tuam & ſalutem noſtram perficias.

Propono per gratiam Tuam, ab omni peccato abſtinere; confitenda confiteri, & quamcunque pœnam ſubire. Credo Tuæ paſſionis infinitum meritum (agnoſco nullis meis pœnitentiis poſſe me vel pro minimo peccato ſatisfacere) Teque velle illud per nos offerri, Ideo nunc Tibi & per Te, Deo Patri offero in plenam pro peccatis meis & totius mundi ſatiſfactionem, quidquid feciſti, & pertuliſti,

listi, triginta tribus annis nobiscum conversando in terris.

Oratio ante Horas Canonicas.

O Sanctissime Domine Jesu Fili Dei & semper Virginis Mariæ, Deus & homo perfectissime, cui ex amore servire & obedire prout tenemur, ita etiam desideramus.

Tu cum Patre & Spiritu S. unus es Deus, unus es Dominus, quem laudant Angeli, ante cujus conspectum Beatissima Virgo Maria, omnesque Angeli & Sancti Tui, cum summa humilitate & reverentia procidunt, teque jugiter adorant, atque sese totos in omne obsequium Tuum in tempore & æternitate resignatissima voluntate offerunt ac impendunt.

Ego autem vilissimus terræ vermiculus & peccator, qui nihil habeo præter innumera peccata Tibi soli planè cognita, propter quæ non solùm

ſum dignus Nomen Tuum invocare, ſed etiã digniſſimus, quem in infernũ deijcias, vel certè velut immundum à Te repellas. Sed quia tanta eſt dignatio & benignitas Tua ut digneris & velis à me licet indigniſſimo laudari, ideo non ex aliqua præſumptione, aut confidentia mea, ſed ex hac ſola dignatione, ut voluntati & beneplacito Tuo obediam, multum deſidero id nunc facere, & ne indignus Te laudem, quoniam non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.

Obſecro Te, per Tuam cum Patre & Spiritu ſancto inſeparabilem unitatem, intuitionem, & per merita Sanctiſſimæ vitæ & mortis Tuæ, nec non per merita & interceſſiones Genitricis Tuæ, ut nos in Sacroſancto Sanguine Tuo, ab omnibus peccatis abluas, atque de Tuæ paſſionis infinito theſauro plenam ſatisfactionem pro peccatis noſtris Deo Patri offerẽs,

eum nobis placatum reddas, & ex hac hora usq; in sempiternum nos suscipias in domesticos & servos tuos, nosque in omnibus per svavissimũ Spiritum tuum & Angelicum ministerium dirigas, sicut magis expedit ad honorem tuum & animarum salutem. Quod ut dignè fiat, adjuva, ut has horas, cæteraque hujus diei & totius vitæ nostræ exercitia, purè propter te Tuumq; honorem ac beneplacitum, per svavissimum cor & Spiritum tuum, devotè inchoare, prosequi, & perficere valeamus. In unionem perfectissimæ laudis, qua altissima Trinitas seipsam laudat, in unione ferventissimarum orationum, quæ tu benignissime Domine Jesu, ac devotissima Mater tua & omnes Beati hic quondam in terris fecistis, & nũc in cœlo peragitis. In unione omnium bonotum operum, quæ in Ecclesia tua ab omnibus fidelibus tuis fa-

cta

cta sunt, fiunt & fient. In unione sensuum, quos intendit Spiritus Sanctus, juxta intentionem Ecclesiæ, & Ordinis nostri, nostramque specialem devotionem

Ad Sanctissimæ Trinitatis Tuæque Crucifixæ Humanitatis supremam Latriam, Tuæque Matris Hyperduliam, ac Beatorum Angelorum omniumque Sanctorum Duliam, animarũ existentium in purgatorio refrigerium, Ecclesiæ necessitatem, nostrum profectum & salutem atque obligationem, denique pro omnibus pro quibus orare tenemur, & Sanctissima majestas vult à nobis exorari. Ecce Tibi offero omnes, quas persoluturus sum Horas Canonicas, unà cum Spōsa Tua matre mea Sancta Ecclesia.

MEDITATIONES
ante Primam Horam.

1. Adductionem ad Pilatum ignominiosam. 2. Accusationem Judæorum

rum clamorofam. 3. Miſſionem ad Herodem probroſam.

Sub Martyrologio. Examen Pilati, ad inſtantiam Judæorum.

Sub Tertia. 1. Remiſſionem Domini ab Herode ad Pilatum ludibrioſam 2. Correctionem & coronationem, & veſtem purpuream doloroſam. 3. Decretum & ſententiam ad mortem turpiſſimam & inauditam.

Sub Sexta. 1. Crucis bajulationem ponderoſam. 2. Matris Dei ac fæminarum lacrymationem lamentoſam. 3. Ad crucem affixionem probroſam.

Sub Nona. 1. Poſt trium horarum penſionem, mortem acerbiſſimam. 2. Lateris apertionem cum effuſione ſanguinis & aquæ totius profundiſſimam. 3. Totius creaturæ, compaſſionem vehementiſſimam.

Sub Veſperis.

1. Depoſitionem Corporis Chriſti lugubrem, 2. Virginis Beatæ, Corporis

ris Divini in gremio suo collocationem funebrem. 3. Ablutionem corporis Domini celebrem.

Sub Completorio verò.

1. Aromatibus conditum Dominū svaviter. 2. Deductionem ejus ad sepulchrum lamentabiliter. 3. Sepulturam ejus, & lapidis impositionem dolenter.

In fine Completorÿ in recessu ex Ecclesia B. Mariæ Virginis obscessum,& omnium piorum de monte Calvariæ orbatum

Oratio post D. Officium.

BOne JESU propitius esto mihi peccatori abominando, ego tepidum & distractum servitium meum commendo mellifluo cordi Tuo emēdandum, & perficiendum, Tibiq; ipsum offero ad salutem animæ meæ & omnium fidelium, in unione illius perfectissimæ attentionis, qua Tu Patrem orasti & laudasti in terris, respōde quæso, satisfac & supple pro me plenissima.

EXER-

EXERCITIUM
Seu Recollectio brevis
MATUTINA
per quinque puncta.

1. Sis gratus.

O Summum & omne Bonum meum, Domine Deus meus: immortales tibi ago gratias; & tibi ô Beatissima Virgo MARIA, & tibi ô Sancte Angele fidissime Custos Animæ meæ; & vobis ô Omnes Sancti, pro hac nocte feliciter transacta: quòd mortuus in peccatis non fuerim, sed ad hunc usq; diem servatus, ut per Fidem, Spem, Charitatem, & Pœnitentiam, ac Christianæ legis opera, gratiam Dei mihi conciliem, in hoc brevi, & incerto vitæ meæ curriculo.

2. Cor offer.

EGo etiam in gratiarum actionē, & in vim tanti beneficii, offero tibi Domine Deus meus, Animam meam, Cor meum, corpus meum:

offero quoq; omnes potentias animæ meæ, Intellectum, Voluntatem, memoriam: offero etiam omnes potentias corporis mei: omnia & singula opera mea: suppliciter petens a Tua infinita bonitate, & clementia, ut de me, meisq; omnibus tanquam de tuis statutis, vitam meam ad Tui Nominis gloriam dirigas, bonis suggestionibus intellectum illustres, fervore charitatis affectum ad Te moveas, sensusq; sermones, & actus meos ad salutem Animæ meæ componas.

3. *Opus D'spone futurum*

DOmine Deus meus, quidquid die hodierna cogitavero dixero, vel fecero, hoc totum ad majorē Tuam gloriam, Beatissimæ ac Gloriosissimæ Virginis Mariæ Sanctiss. Patris Nostri Francisci, & omnium Sanctorum honorem offero. Quia vero scio, opera mea nihil ex se valere posse; ideò omnia, & singula opera mea, dicta,

cta, facta, cogitata, jungo cum sanctissimis & infinitis meritis Unigeniti Filij tui Domini nostri Jesu Christi, Salvatoris & Redemptoris mei dulcissimi.

4. Vita peccatum.

DOmine Deus meus, scio quòd propter peccata mea multa & magna indignus sim gratiâ tuâ: ideò nunc de omnibus & singulis peccatis meis simul collectis, ex amore tui doleo, detestor illa, & coram Majestate tua protestor, quia in æternum peccare nolo. Propono Domine mi Sanctissime ac Infinite, Optime, Maxime, cum Divino tuo auxilio, hodie & semper omnia peccata vitare, consveta vitia, ad quæ propensior sum, deponere; actiones meas ad tuam gloriam referre; & in virtutibus me exercere.

5. Subsidiumq; pete.

DOmine Deus meus, rogo tuam infi-

infinitam bonitatem & clementiam, quatenus me in omnibus his propositis meis adjuves: quia ſine Te miſerrima creatura nihil poſſum. Rogo Te per viſcera miſericordiæ Tuæ, ut me ab omni peccato cuſtodias; ne cogitatione, verbo, vel opere Divinã Majeſtatem Tuam ullo pacto offendã. Exaudi me clamantem ad Te Deus meus, Deus meus & omnia. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Proteſtatio contra peccata.

DUlciſſime JESU, Judex & Arbiter Supreme omnium actionũ & cogitationum mearum, proteſtor coram majeſtate Tua, quòd nolo peccare non ſolùm hac die, ſed etiam in æternum vel leviſſimo peccato majeſtatem Tuam offendere. Ut verò firmiter hoc propoſitum meum roboretur, deteſtor, & abominor, quin imò anathematizo omnes malas, turpes,

fœdas, blasphemas cogitationes, quibus cacodæmon servos Tuos electos impetere solet: tantummodo per invocationem Sanctissimi Nominis Tui me adjuvare digneris.

Hinc diligenter examinanda Conscientia, prout cuiquam libuerit: circa cogitationes, verba & opera; & si quæ offensa Dei in ea reperiatur, hæc per actus Amoris Dei, Contritionis, ac veræ Pœnitentiæ deleri curetur.

Actus Amoris DEI.

O Magne Deus, Te amo super omnia, Te diligo ex toto corde, ex tota Anima, ex omnibus viribus meis; ac firmissimè propono omnia mandata Tua implere, omniaq; Te attestante, peccata vitare. Et quare non acta causa, quam ob immensam persecutionem; incomprehensam potentiam, altissimam Sapientiam, infinitam bonitatem Tuam; sive propter teipsum; & quia omni amore dignissimus

fimus es. O Pater! ô Fili! ô Spiritus Sancte! O Sanctiſſima Trinitas! Deus meus & omnia.

Brevior.

AMo Te Deus meus, quia dignus es toto corde meo. O Amor Deus meus, diligo Te ex toto corde meo ſolùm propter Te.

Actus Contritionis.

DOmine JESU Chriſte, verus Deus, & verus Homo, Creator & Salvator meus: doleo ex toto corde meo, quòd Te offenderim: quia Tu es Deus meus, & Te amo ſuper omnia; firmiterq; iratus nunquam poſthac peccare, ſed omnes peccandi occaſiones evitare, propono quoquè peccata mea confiteri, pœnitentiam, quæ injuncta fuerit, exſolvere, & ſi quid alicui debeam reſtituere. Amore etiam Tui remitto injuriam omnem; a quocunq; mihi illatam. Inſuper ad expianda pec-

cata mea, offero Majestati Tuæ vitā, labores, & bona opera mea universa. Ut verò humillimè peccatorum meorum veniam efflagito, ita confido, ab infinita bonitate Tua, per merita sanctissimæ Passionis Tuæ, ea mihi remittenda, præstandam etiam gratiam, quâ vitam meam emendem, & in sanctissimo servitio Tuo in finem usque perseverem. Amen.

O JESU, summum & omne Bonum meum! cur unquam Te offendi? ah verè me pœnitet! ideòq; vel maximè quia Tibi soli peccavi.

EXERCITIUM

Seu, Recollectio Vespertina: per quinque puncta.

1 *Solve DEO grates,*

O Pijssime humani generis Parens æterne Deus, immortales Tibi ago gratias, pro collatis mihi indignissimo beneficijs, Tu enim Pater benignissime, ut aliquando cœlestis illius

illius patriæ compos esse possim, ad imaginem Tuam me creasti: immensis laboribus, & doloribus Unigeniti Filii Tui, ex inferni faucibus eripuisti: & ad vitam æternam, si præceptis Tuis mortem gessero, promisisti: & ad S. Fidem Catholicam, extra quã non est salus, insuper ad S. Religionem traxisti. Ago etiam gratias pro beneficijs hodie à sanctissima liberalitate Tua mihi concessis.

2. *Lumen pete.*

ILlumina, quæso, Domine Deus meus intellectum meum, ut videam, quidquid die hodierna cogitando, loquendo, vel operando peccavi. Et deprecor Te, per sacratissimam Passionem & mortem Filii Tui Domini nostri Jesu Christi, quatenus totum mihi indigno peccatori clementer indulgere digneris.

3. *Discute mentem.*

E*Xamina Conscientiam, & ascende quotidie*

tidie. tribunal mentis Tuæ: monet D. August: in libr: Confess: Institue examen. 1. Circa cogitationes. An fuerint otiosæ, vanæ, superbæ impuræ, gulosæ, a cediosæ, invidiosæ, iracundæ, suspiciosæ, temerariæ, fraudulentæ? & his similes. 2. Circa verba. An otiosa, inconsiderata, superba mendacia, turpia, iracunda, vana, detractoria, contumeliosa, mordacia, simulatoria, adulatoria, imprecatoria, juratoria, blasphema, exprobratoria? & his similia. 3. Circa opera; An otiosa, scilicet in nullum finem bonum directa? vana, seu tantùm in gratiam hominum facta inordinatione seu in finem minùs decentem, non debitò modo, tempore, loco, facta perfunctoria; seu sine debita attentione & devotione immorigera; seu contra Præcepta Dei, vel Ecclesiæ; contra debitum proprij officij, & remorsum conscientiæ. Acediosa; s. cum languore & tædio animi peracta, omissa? & his similia.

4. *Delicti veniam posce.*

Confiteor Tibi Pater clementissime

ſime delicta mea, & ex amore Tui doleo, quòd Te Sanctiſſimum Patrem & Dominum meum Clemẽtiſſimum offenderim. Et nunc da Pater benigniſſime, ut ab his omnibus vitiis meis, ſanguine Unigeniti Filii Tui expiatus, Tuîs donîs & gratîis, non ad Nominis Tui probrum, & meam perniciem, ſed ad gloriam Tuam, meamq́; & proximorum ſalutem utar. Obſecro Te per viſcera miſericordiæ Tuæ, dona mihi poſcenti veniam delictorum, ſiſque mihi propitius indigniſſimo peccatori. Hic poteſt fieri Contritio ſupra poſita.

5. *Recide malum.*

DOmine Deus meus, propono per gratiam Tuam confitenda confiteri, & pœnam quam volueris ſubire: ſtatuo coram Majeſtate Tua, majori diligentia, vitæq́; emendatione, commiſſa & neglecta compenſare: & oro, ut ſi hac nocte hinc me diſce-

dere

dere velis, pro Tua misericordia mecum agas. Sin verò diutiùs vitam meā prorogare decrevisti, gratiam vivendi largiaris, subire, justè in omni humilitate, patientia, obedientia, paupertate, sanctaq; castitate: quatenus possim in omnibus bonis operibus usq; in finem vitæ meæ perseverare. Qui vivis & regnas in sæcula &c,

Recommendatio Operum diei ad B. V. M.

O Super pijssima Virgo Maria, Mater Dei, & nostra singularis Domina, & Advocata, ô Sanctissimæ Trinitatis Sacrarium, Angelorum Speculum, Scala Sanctorum omnium tutum peccatorum refugium: Suscipe in maternum cor Tuum, universum nostræ servitutis obsequium, quod ego indignus (& Tui ac mei speciales) hodie & hactenus obtulimus, & quidquid in eo male actum est excusa, & emenda, quidquid neglectum supple. si quid verò bene gestum est, adjunge

Tuis meritis, & Filio Tuo acceptum redde, eidemq; illud offer pro nobis, gratias age, atq; misericordiam optatam nobis & pro quibus orare intendimus impetra, nosq; omnes in maternam Tuam custodiam suscipe, atq; ab omni peccato, & periculo, ab omni mentis & corporis impuritate, ab omni malo nos protege & præserva, & in morte Tuum nobis placatum ostende Filium, vultum gratiosum, A.

Ad Omnes Sanctos.

IN benedictas manus Tuas, Domine Deus, & in sinum misericordiæ Tuæ ô Virgo Maria, in vestram quoq; protectionem ô Sancte Michàël, ô S. Angele Custos meus, omnes & singuli Spiritus Angelici, & Sancti hujus diei Patroni mei NN. & omnes Electi Dei, corpus & animam meam, nunc & semper cómitto.

ferme butt

M. Woiciech Łanski

244

Tu

red

gra

tan

dim

ter

ab

mn

om

& i

ſten

I N

n

Tu

pro

Ang

li S

ei P

D cor

nunc

Des

io prec de

juſte pe ibus

s, præfa Epiſc

s, Ep c s &

ium, erſa

ibertate gratia

ra, qu

D vi. R man

Regibus Ant

rincip

obt

conti

&

n

er

deutsc

tio pr de fo
juste tibus
s, pr Episcope
s, Ep s & Eccl
num, rsa & sing
libert ratias, immu
ra, qu quis, a re
Di manorum Im-
Regib antecessoribus
rincip ut personis
obti nt, in omni-
conti sententiis,
& de verbo ad
ta sunt, ac
il ibus specifice
fer iam si de his,
ie, fie tio

&
a
re
ar
ren